DISSERTATIONE INAVGVRALI
differentias iuris
Romani & Germanici
IN

CONNVBIALI IMPERIO CONSENSVQVE PARENTVM,

PRAESIDE

DN. IOAN. PETRO A LVDEWIG, *ICto*,
S. R. MAIESTATI PORVSSICAE A CONSILIIS INTIMIS ET
REGIMINIS IN DVCATV MAGDEBVRGICO, IVRIS AC
HISTORIARVM PROFESSORE ORDINARIO
DOMINO IN GATTERSTAETT, RELIQVA,
INCLVTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
LEGITIME OBTINENDIS
DIE XVIII. NOVEMBR. AN. CIↃ IↃCC XXI.
IN FRIDERICIANA



H. L. Q. C.
PVBLICE DEFENDIT

CHRISTIAN. FERD. WAPENHENTSCH.
PRAETOR ISLEBIENSIS.

HALAE VENEDORVM,
LITTERIS IO. HENR. GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

TOGATO HEROI,
REVERENDISSIMO ATQVE
ILLVSTRISSIMO
DOMINO,

CHRISTOPHORO DIETERICO
A
BOSE,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
POLONIARVM REGIS
ET ELECTORIS SAXONIAE
IN SANCTIORI SENATV CONSILIARIO,
RERVM BELLI ET PACIS STATVS
ADMINISTRO,

COMITATVS MANNSFELDENSIS
GVBERNATORI,

OLIM

OLIM PRIMI ORDINIS IN PACE EVROPAEA

LEGATO,

MILITIAE IOANNI SACRAE EQVITI,

DOMINO AC DYNASTAE IN OBER-ET VNTER-FRANCKLEBEN, SEHRHAVSEN, RELIQVA,

VIRO RERVM IVRIVMQVE SACRI ET HVMANI PVBLICI PRIVATIQVE PERITISSIMO,

POLYHISTORI PVRPVRATO,

DOMINO SVO ET PATRONO INDVLGENTISSIMO,

DISSERTATIONEM IN ARENA INAVGVRALI

D. D. D.

CLIENS DEVOTISSIMVS

C. F. WAPENHENTSCH.

Differentiae iuris Romani & Germanici IN CONSENSV CONNVBIALI EXTRA CONSPONSOS.

DIFFERENTIA I.
De connubio coacto *imperatoque a patre.*

R*Omano iure* pater *imperare* potuit *connubia* nihilque relictum liberis consponsis, quam obsequii gloria. Inde sponsalia a parentibus contracta, non a consponsis (a). Postea tamen ipsi etiam *Romani* a *nuptiis coactis* abhorruerunt. Quamuis hodieque opinabile sit, nefas I. R. *filiam* repugnare patri sponsori, nisi uel *cœlibatum* uouerit uel connubio inhabilis uel ei obtrudat pater maritum, macula notatum (b). *Germanica iura* patris imperio *coacta matrimonia*

 tantum

tantum non *execrantur*. Neque locus eſt cauſis Latii, quamuis patriae etiam leges, Latio forte infectae, loquantur aliquoties duriuſcule. Praeſertim in *filiabus*, quas, putant, laedere *uerecundiam*, ſi in uiris adpetendis pendere malint a ſuo; quam alieno arbitratu (c). Inter principes & perſonas illuſtres etiam illud quondam fere in mores iuit, ut patres, liberorum nomine, ſponſalia contraherent, quae illi ſuo obſequio adprobarunt (d). Non uero tale quid adſcripſero legibus, quibus principes ſoluti; ſed uel moribus uel conſiliis, ne quid liberi auderent in connubiis, quod familia auguſtali indignum. Nullus tamen dubito, etiam hic *principalem patrem abuti* poſſe ſua poteſtate. Quod, ubi fit, indulgentiores eſſe debent iureconſulti ad locum dandum exceptioni *metus*, qui in principe non tam *reuerentialis*, quam talis

lis est; qui cadit in constantem uirum. Satis enim tremenda principis *impunitas* in officio aut maleficio paterno.

CAP. I. a)

Romae olim a PATRE COGI *potuisse* LIBEROS *ad* CONNVBIA *ineunda.*

§. 1. Immensa illa potestas, qua Latii iura *patrem* instruxerant, nulli aeuo ac orbi cognita alias §. 2. *Inst. de patr. pot.* eo etiam usque prolata: ut ipse liberis suis connubia imperare potuerit suo arbitratu, nulla consponsorum uoluntate consensuque. Docent hoc principio *leges.* Clare ac definite CELSVS: *Si, patre COGENTE, ducit uxorem, quam non duceret, si SVI ARBITRII esset: contraxit tamen matrimonium, l. 22. D. de ritu nupt.* Sed quo fine addit Celsus? *Quod inter inuitos non contrahitur. Maluisse enim hoc* filius *uidetur*? Nam pater habuerat *ius cogendi*; igitur nullum filio tum fuerat asylum aut praesidium, habendi ideo matrimonium pro *nullo*, quod ad hoc *impulsus* fuisset patris iussu. Quia patris hic *uelle* est filii *non nolle*: quod ultimi uoluntas pendet a primi imperio. Instar iudicis, cuius metus omnino legitimus.

R. I. connubia coacta patre

1) *legibus.*

§. 2. Neque alio respicit Seruius Sulpicius apud GELLIVM *lib. IV. c. 4.* ubi inquit: *qui uxorem ducturus erat, ab eo* (patre), *unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri. Qui daturus erat* (pater), *iterum spondebat, daturum.* Inde, quae promissa erat, sponsa *adpellabatur*; qui *spopsponderat*, *sponsus.* Idem habet NONIVS *Marcellus c. V. n. 69.* his quidem uerbis: *sponsa* eadem, *quae promissa* a patre. Vnde etiam *pacta* fuit adpellata uirgo ob conuentionem & fidem patris, licet puellae nihil constite-

2) *scriptoribus.*

 rit

rit de negotio. Plane DONATVS ad *Andriam act. I. scen. I. ex* ueteri *more. Quo* spondebat *etiam petitoris pater. Vnde* sponsus & sponsa *dicitur.* Paria fere habet *Fr.* CONNANVS *lib. VII. c. 2.*

3) *Etymon* Sponsa, *die vom Vater versaget, instar pecuniae sponsae.*

§. 3. Explicatior uero aliis est VARRO *lib. V. de LL. n. 7.* Is enim suggerit nobis similitudinem *sponsae uirginis* atque *sponsae pecuniae.* Vti enim paterfamilias *pecuniam* alteri spondet seu promittit: ita etiam promittit alteri *filiam.* Et, quemadmodum traditio pecuniae pendet a uoluntate domini: ita etiam *filiae* traditio a patris solius nutu & arbitratu. Idem dicendum est de uerbo *sponsi.* Nam uti alteri promissus equus, ideo *sponsus* audit, quia spondere idem, quod promittere: ita quoque filius promissus ideo *sponsi* aut promissi fert nomen. Et si duae *res* a domino alteri promissae, illae dicuntur *consponsae*, quemadmodum, si duae promissae personae, *consponsae* aut *consponsi* salutati. Germani pariter utimur his uerbis promiscue: *versagtes* geld; *versagtes* kind; *versagtes* quartier, cetera. Tantum ergo abest, consensu opus olim fuisse *consponsorum* in sponsalibus: quantum abest, nummos consentire potuisse, si illos promittere, spondere aut expendere uoluerit argentarius. Certo argumento, connubia ueterum a patris pependisse imperio, consponsis uero relictum fuisse obsequium.

4) *comicorum edictis.*

§. 4. Etiam ad hunc morem effinxere poetae suas fabulas. Audi querentem Pamphilum in TERENTII *Andria act. 1. scen. 1. Quid ego dicam de patre? ah. Tantam rem tam negligenter agere? Vxor tibi ducenda Pamphile hodie, inquit, para, abi domum. Id mihi uisus est dicere: abi cito & suspende te. Obstupui, obmutui. Ei ne ego ut aduerser? hei mihi. Incertum est, quid agam?* Scilicet inops consilii esse non potuisset Pamphilus: nisi pater ius habuisset, nuptias filio imperandi. Sunt eius generis loca etiam apud

apud PLAVTVM, quae ante nos conduxere alii.

§. 5. Respicit huc pariter SENECA *lib. controu. l. 6.* dum ait: *solere eos, qui COGVNTVR a patribus, ut uxores ducant, illa dicere: non sumus etiamnunc apti nuptiis.* Vnde satis constat, nuptias a patre imperatas esse tam filiis, quam filiabus. Neque aliud superfuisse consilium utrisque, quam hoc, ut dicerent se ad illas ineptos & *inhabiles.* Congrue addit *Carol. Annib.* FABROTVS *exercit. X. p. 121. Perperam enim ad nuptias compelletur, quia nuptias facere non potest. Quid? si coelibem uitam uiuere malit? Summa ratio est, quae pro religione facit.* 5) *philosophorum.*

§. 6. Cum praeterea illud quoque prodant pristini moris scriptores; *etiam patrem potuisse rumpere nuptias, inuitis licet coniugibus:* eo minus poterit de ueritate coacti paterno imperio matrimonii dubitari. Quoniam minor potestas, iubere nuptias: quam nuptos diuellere & nexum rumpere. Querela filiae est apud ENNIVM: *iniuria abs te adficior indigna, pater! Nam si improbum Chresphontem* (maritum meum) *existimaueras, cur me huic locabas nuptiis? Sin est probus, cur talem inuitum, inuitam COGIS linquere?* Reponit ad haec CICERO *lib. 2. ad Herennium* pro patre: *Nulla te indigna, nata, adficio iniuria. Si probus est, bene locaui: sin autem est improbus, diuortio te LIBERABO incommodis.* Non sunt haec ad palatum *Alberico* GENTILI, qui *lib. IV. de nupt. c. 7.* ideo opinatur, haec talia exscripsisse Latinos poetas ex Graecis, quibus matrimonia coacta in usu. Verum enim uero, cum Romani uti *poesin*; ita *ius* quoque Graecis debuerint acceptum: ideo credi potius illud debet, haec Graecorum instituta omnino ad palatum Romanis, qui in potestate, patribus adserenda, superare uoluerunt gentes alias uniuersas, quo scriptum est principio. 6) *quia pater potuit & dirimere nuptias, consponsis inuitis.*

§. 7. Neque tantum fides imperati matrimonii est penes 7) *historia testis coactorum connubiorum.*

penes philoſophos & poetas. Ipſi hiſtorici plurima exempla proferunt eorum, qui liberos ſuos, inſcios & inuitos, aliis deſponderunt. Scipionem Gracho filiam ignorantem deſpondiſſe & elocauiſſe, autor eſt LIVIVS *lib. XXXVIII. cap. 57. Petiit ſenatus, ut inter epulas, Gracche filiam deſponderet Scipio Africanus. Quibus ita ſponſalibus factis, quum ſe domum recepiſſet, dixiſſe id Scipionem uxori, muliebriter indignabundae, quia nihil ſecum de communi filia conſultatum.* Non filia ignorans elocata querelam ideo mouit. Quoniam eius querelae nulla cauſa, ob liberam patris in hoc negotio poteſtatem. De aliis exemplis ſolicitus eſt *Henr.* BROVWERVS *de iure connub. lib. I. c. 7. n. 1.*

8) *patris infinita poteſtas.*

§. 8. Teſtatiſſima igitur eſt ſententia, quod pater R. I. cogere potuerit liberos ad connubia. Neque mirum, cum paterna poteſtas Romae fuerit poſita extra omnes limites. Trucidare, exponere, libertate exuere licuerat liberos, quidni etiam leges eis dare connubiales, recte arguit *Petr.* AERODIVS in utili opuſculo *de patrio iure p. 983 984.* Sed quid? *Si imperaret pater, ducere infamem, propudioſam aut criminoſam? Negligi haec debent, quae aut raro aut nunquam euentura.*

9) *filio id non graue.*

§. 9. Neque ego difficilis ſum, ad talia credendum. Patre enim demortuo aut filio aliunde emancipato: *uxor imperata poterat iterum, bona pace, dimitti.* Vt adeo iniuria, quam grauis etiam illa uideretur, in matrimonio coacto, tamen *breuis* eſſet. Et uel hac cauſa tolerabilior. Cum uero noſtris moribus matrimonia indimiſſibilia ſint: haud dubie conſultum non eſſet, eius generis imperia paterna indulgere. Quo rerum ſtatu ueteris etiam iuris memoria noſtri aeui iureconſultis uidetur incredibilis & ſimilis portenti.

Num uero hic

(b) Quod, iure Iuſtinianeo, nefas ſit, cogi liberos ad

ad nuptias a parentibus, illud quidem plerique existimant, tam certum esse, quam quod sit certissimum. Licet enim *L. 22. C. de ritu nupt.* neque dum expunxerit Tribonianus: potuit tamen illam hoc sensu accepisse, quasi sibi tribuere debeat filiusfamilias, quod se cogi passus sit. Tum enim locum esse, illi Terentiano: *tua uoluntate es coactus*, in *Andria act. 4. scen. 1.* Contra autem clarissima est *l. 21. D. de ritu nupt.* *Non cogitur filiusfamilias uxorem ducere.* Et porro: *NEC filium quid familias INVITVM ad uxorem ducendam COGI*, *legum disciplina permittit*, habetur in *l. 12. C. de nupt.* Sed tamen de FILIA uniuersim, ob pudorem ambiendi nuptias & grauius de *filiafamilias*, omnium autem grauissime de *minorenni* dubitant: utrum his licuerit patris uoluntati ac iussui in nuptiis obstrepere? Ex instituto hanc controuersiam tractat FABROTVS *in exercit. X p. 125.* Vniuersim *l. 12. sed quae D. de sponsal.* causae tantum aliquae nominantur, ubi possit filia patris imperio se opponere: *Tunc autem solum dissentiendi a patre licentia filiae conceditur: si indignum MORIBVS uel TVRPEM* (infamiae cuiusdam macula notatum) *sponsum ei pater eligat.* Idem tradit GELLIVS *lib. 2. c. 7.* patri *in omnibus, quae imperat, parendum. Vt rus colere, VXOREM ducere. Quid uero si imperet, uxorem ducere* infamem, *propudiosam, criminosam? Non parendum.* Quod igitur lex de sola *filiafamilias:* illud etiam de *filiofamilias* habet Gellius. Sed tantum ultimum eximere uidetur. *L. 13. D. de Sponsal. filiofamilias dissentiente sponsalia, nomine eius fieri NON possunt.* Inde iure Iustinianeo filiosfamilias cogi non posse ad nuptias, putant; sed tamen cogi posse ad easdem filiamfamilias, nisi graues habeat inque lege definitas dissentiendi causas. Neque aliter BASILICA *lib. XXVIII. tit. 1.* τότε δὲ μόνον ἀντιλέγειν δύναται ὑπεξουσία, ὅτε τοῖς τρόποις ἀνάξιον καὶ αἰσχρὸν αὐτῇ μνηστεύεται.

patris imperio *locus in iure* Iustinianeo?

ubi coacta matrimonia parum legitima?

Subiacet tamen etiam hic filia *imperio patris.*

1) *si in patris potestate.*

2) *minor.*

3) *sui iuris.*

γένεται. Quae & uerba sunt HARMENOPVLI *lib. 4. tit. 1. §. 6.* Verum Graecus interpres MATTHAEVS loquitur de liberis uniuersim utriusque sexus, si quidem sint constituti sub patria potestate. Adeoque is sequi uidetur Gellianam philosophiam. Praeterea quaenam filiafamilias intelligatur in hac lege, iterum disputatur. Accipiunt enim aliqui hoc ipsum de filiabus tantummodo *minorennibus*, quoniam maiorennem inuitam pater habere non possit in coelibatu. Alii etiam *maiorenni* scriptam legem, quod pudorem laedere uideatur uirgo, ambiens maritum. Quod cum alii etiam uerum esse uideant de *emancipata*, uidua forte, etiam hanc adligant huius legis nexu. Meum calculum ultimi etiam habent ideo, quoniam I. R. litigiosum, qua ratione patriam potestatem deserat filia per nuptias; imo an deserat eandem; & si hoc, an non recasura sit in eam, marito aut mortuo aut dimisso per diuortium aut repudium. Rem ita definit HARMENOPVLVS *lib. IV. tit. 1. §. 5.* ὁ πατὴρ τῆς ὑπεξουσίας, δύναται διαλύειν τὴν μνηστείαν, οὐ μὴν καὶ αὐτεξουσίας, *pater* IN POTESTATE *manentis filiae sponsalia potest soluere:* EMANCIPATAE *non item.* Sed I. R. dubium, num *uidua* sui iuris?

CAP. II. c)

I. G. matrimonia libera, non coacta imperio parentum.

LIBERA *Germanis consponsis fuere* MATRIMONIA. *Quia* 1) *tanta patrum ibi non potestas.*

§. 1. NAm principio Germani tantam non habuerunt potestatem in liberos suos, quantam indulserunt iura Latii. Vnde facile est ad intelligendum, Germanos ad connubia non protulisse paterni imperii limites. Vnde illud QVINTILIANI *in declamat. 370.* rectius de Germanis adfirmandum. *Vxorem*, inquit pater, *non ducis, quam uolo. Quid tum?* filius reponit. *Nescis nostri arbitrii esse matrimonia? adfectus nostri nobis non seruiunt. Non potes efficere imperio, ut uel amem, quam uelis uel oderim. Matrimonium uero tum perpetuum, si mutua uoluntate iungitur. Cum ergo quaeratur mihi uxor socia thori, uitae consors, in omne seculum mihi elegenda est.* §. 2.

§. 2. Deinde cum matrimonia Germanorum non-nisi *sera* essent, minus periculi fuerat, praecipiti iudicio illa fieri, ut haec cauere oporteret parentes. *Sera*, inquit TACITVS *de M. G. c. 20. iuuenum uenus eoque inexhausta pubertas. Nec uirgines festinantur.* Planius CAESAR *lib. VI. comment. c. 27. Qui diutissime impuberes permanserunt* (ergo penes liberos steterat, an nubere uellent, patris remoto imperio) *maximam inter suos ferunt laudem. Intra annum uero XX. foeminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* Vere addit CLVVERVS *lib. I. c. 20. Hic certe mos in filiabus hodieque apud Germanos magis, quam apud alias gentes obseruatur. Adolescentes plerunque in altiorem seruantur aetatem.* 2) *ob sera matrimonia auctoritas parentum minor.*

§. 3. Praeterea liberi Germanorum cultu matrimonii non graues parentibus aut molesti. Nam neque *filia dotem* patri extorquere potuit, quia sponsam suam dotauit sponsus: neque filius obtrusit nurum socero, uti in Latio factum, sed cum matrimonio nouam iniit familiam & rem familiarem, a paterna potestate nuptiis emancipatus. Quod pariter discere licet ex TACITO *de M. G. cap. 20.* & eius amplo interprete CLVVERO *lib. I. c. 20.* Cadunt itaque iterum causae, ob quas Romanorum connubia pependere a parentibus. Et cum Germani a libertate connubia dixerint atque adpellauerint sponsum *einen freyer*, sponsalia *freyerey* & inire connubium *freyen*, *zufreyen*, a liberando se ab imperio & potestate parentum: illud CASSIODORI hic iudicium probandum *lib. VII. c. 40. durum est, libertatem* (matrimonii contracti) *liberam non habere* (per coacta sponsalia), *unde liberi procreantur.* Neque etiam illud CHRISTI edictum congruit Latio; sed Germanis tantum non est proprium. Inde FORMVLA *sponsaliorum* BIGNONIANA §. 5. p. 498. his uerbis concepta: *Dum dominus ab initio concessit in ueteri testamento & praecepit, ut relinquat homo patrem & matrem* 3) *parentibus non molesta matrimonia liberorum.* *Ipsum nomen* freyen *G. I. est a libertate.* *I. G. emancipant matrimonia.*

trem & adhaereat suae uxori. Ego te per solidum & denarium, secundum legem Salicam, uisus fui desponsare & quae sequuntur. Vnde plura intelliguntur. *Primo* liberos exiisse ex patria potestate, cultu matrimonii. *Deinde* sponsum non factum ex patris promissione; sed suo arbitratu. Vt adeo meliori iure audiat sponsor seu promissor fidei connubialis. Sic etiam formulae apud MARCVLFVM *lib. II.* §. *15. 16.* testantur, sponsalia non ab imperio parentum pependisse: sed in illis tantummodo opus fuisse, ut *parentes* consentirent.

4) *imo inuitis parentibus contractum G. I. non est nullum.*

§. 4. Porro cum matrimonium non sit nullum, quod contraxerunt consponsi sine parentum consensu; sed sponsus tantummodo, ob parentes neglectos, incidit in multam XX. solidorum, propter sociatam sibi puellam, quod *anagrip* seu *angriff* dixere & propter *faidam*, in mulctam similem: igitur nemo dubitare potest, tantum abfuisse Germanos a coactis matrimoniis, ut potius suo arbitratu coire licuerit consponsis. Dummodo soluerent mulctam, huic licentiae definitam. Ita enim *Lib. II. LL. Longob. tit. 2.* constitutiones se habent Regum Rotharii & Liutprandi, his uerbis inscriptae: *de his, quae, sine uoluntate mundualdi* (parentum aut tutorum) *ad maritum ambulant.* De moribus GOTHORVM accipi debet *Anianus* interpres *sententiarum Pauli tit. 19.* §. *2. Viuentibus patribus inter filiosfamilias sine uoluntate patrum matrimonia non legitime copulantur: sed, si coniuncta fuerint, non soluuntur.* Licet enim ipsius PAVLI eadem fere sit lectio uulgaris; *Eorum, qui in potestate patris sunt, sine uoluntate eius matrimonia iure non contrahuntur; sed contracta non soluuntur.* Cum tamen haec sententia iureconsulto R. indigna, quem fugere non potuere praecepta legum ex aduerso: *quod nuptiae, sine consensu patrum contractae, ipso iure sint nullae l. 11. D. statu hom.* & *l. 2. D.*

Sententia Pauli ICti dubitationibus exposita.

l. 2. D. de ritu nupt. igitur *Hugo* GROTIVS *ad lib. II. de iur. B. & P. c. 5. n. 14.* & *Iac.* GOTHOFREDVS *ad l. 210. D. de reg. iur.* arbitrantur, Pauli ſcripturam a Gothica manu deprauatam eſſe ideo, ut iuri Gothico eſſet concinna: quod nuptias, inuitis parentibus contractas, non rumpat. Sed tamen dura *l. 2. tit. 2. lib. III. C. LL. WGOTHIC*, (*) ubi puella, contra uoluntatem patris ſe deſponſans, nihil agere dicitur & deſponſatio tollitur ipſo iure. Quam forte eruditiſſimi uiri non expenderunt. Quoniam in illa non ſolum nuptiae habentur pro nullis: ſed etiam parentum conſenſus, poſtea datus, non attenditur. Vt ſcriptor calamum omnino tinxerit hic cruore Romano. Sed tamen alia forte mens *interpreti Aniano* ob cauſas barbaro quondam iuri magis congruentes. Nolim enim cum SCHVLTINGIO tueri ſcripturam *Aniani* & reducere eandem ad ſenſus iuris Latii, obtorto collo. Nam alio ſenſu *Paulus* ſcripſit: alio *Anianus*. *Dubia adu. Schultingii conciliationem.*

§. 5. Non ideo negligi debent inſtituta SAXONVM, quibus hodieque uiuunt ANGLI. Nam tantum abeſt, coacta ibi matrimonia coli: ut potius ſperni poſſit parentum conſenſus, neque ideo foedus connubiale diſſoluendum. Ita enim *Ioan.* COWELLVS *lib. I. tit. 10. §. 3. Parentum conſenſus apud nos non tam neceſſarius eſt, ut contractum matrimonialem inter liberos, de praeſenti perfectum, defectus eius ſoluere poſſit.* Quod ſi tamen tribuere hoc uelis auctoritati ſacrorum canonum, quoniam *Guilielm.* LINDWOOD *lib. IV. conſtit. Angliae tit 1. ſeq. de ſponſalibus & matrimoniis* docet, eorundem Angliam in hoc argumenti genere obſeruantiſſimam ſemper fuiſſe, per me & hoc liceat. *5) collatio iurium barbarorum Anglicani.*

§. 6. Etiam DANICVM ius licet pariter uelit, ut uxo- *Danici.*

(*) In CODICE MSCTO dni. praeſ. legitur pro, *PACTA a parentibus*, *PECCATA*. Verum haud dubie mendoſe. Nam ita componitur, diſſidium. Quod haec lex de *pacta* filia loquatur, quae alii nupſerit, non de aliis.

rem aliquis petat a parentibus aut tutoribus & horum requirat consensum: quod si tamen parentes iustas & legibus probatas dissentiendi causas non habuerint: impedimentum hoc attendi non deberi, iubet legislator *Danus lib. III. c. 16. de matrimonio.* De SVECORVM moribus ita scribit STIERNHOOCK *lib. 2. cap. 1. Nihil olim gloriosius, quam bello & raptu, more Laconum, maritari. Quare qui hosti aut inimico sponsam aut filiam erpetam sibi copulasset, egregium & iure dignum facinus patrasse uisus est. Celebratus iis laudibus. Quarum plenae sunt historiae & cantilenae. Vis ea post lege repressa. Sed tamen, si semel promissa denegaretur, etiam rapi & per uim capi fas fuit.* Foemina *autem a* tutore *peti debuit. Et quoad nubendi licentiam sub perpetua fuit tutela perinde uidua, ut uirgo. Tutor autem uel nubendi* auctor pater, *post eum* frater, deinde auus, *post* patruus, auunculus, cetera. Haec de *filiabus*, pudoris ergo. Nihil autem de filiis, quos hic putauerim nullo fuisse in nexu.

Suecici.

§. 7. Post illud constat: quod formulae connubiales, nostro minimum aeuo concipiantur *nomine consponsorum*, non uero *parentum*, his uere uerbis: *Zu wissen, dass zwischen Titio, Sponso, an einem: Menia, Sponsa, am andern theil, auf rath und reiffe überlegung beyderseits respectiue Eltern, Freunde und Verwandten, nachfolgendes christliches Ehewerck verabredet und geschlossen worden. Nemlich es verheist Titius seiner künftigen Ehegenossin alle eheliche Lieb und Treue: dagegen Meuia gegen Titio, als ihrem künfftigem Ehegenossen zu aller ehelichen treue und pflicht sich verbindlich machet, und beyde personen, eines dem andern hiemit nochmahls, per uerba de praesenti versprechen, dass sie einander zur H. Ehe nehmen und haben, auch solche Ehe christlichen gebrauch nach, durch priesterliche copulation und beylager bestaetigen lassen wollen* & quae sunt eiusmodi. Nam contra

b) posta nuptialia auctores nuptiarum habent consponsos, non parentes.

tra Romano iure his uerbis concipienda fuisset formula: *Quod Titius pater Meuiam filiam suam spoponderit Caii filio Sempronio & iterum promiserit Caius filium suum Sempronium Titii filiae Meuiae.* Qua patres authores sponsalium fuerant: non consponsi. Quod dictum superius.

§ 8. Ad extremum, quam indignum moribus & legibus uideatur Germanis matrimonium coactum; illud eo facilius est ad credendum, quo acerbiores Germaniae interpretum sunt dirae, scriptae aduersus coacta matrimonia. Daemonis, non Dei negotium esse, liberis imperare connubiales adfectus, dicit LVTHERVS, qui ius hoc Latii ideo adpellat *ein teuflisch recht*, quod habeat BEUST *de matrim. part. 2. cap. 45.* CYPRAEVS *de sponsal. c. 6. §. 2. n. 1.* Sententias autem aduersus imperata connubia latas in tribunalibus recitat CARPZOVIVS *lib. II. iurispr. consist. tit. 2. def. 30.* quibus facile esset, addere alia, nisi *uir. ill. dn.* BOEHMERVS *de coacto matrimonio* egisset instituto.

7) doctorum ex DIRAE *aduersus nuptias coactas siue ab aliis siue a parentibus.*

CAP. III. d)

Exempla ILLVSTRIVM *personarum in foederibus ac* FORMVLIS *connubialibus uel* LIBERIS *uel* COACTIS IMPERIO *parentum.*

§. I. Illud certe dissimulandum non est, in principalibus familiis exempla reperiri, unde credere liceat eorundem matrimonia dependisse a nutu parentum adeoque tantum non habenda esse pro coactis ac imperatis. Sed tamen neque desunt ex aduerso exempla alia, ubi codicillos connubiales non patres consponsorum scripsere: sed ipsi consponsi. Qua exemplorum uarietate confirmor in opinione hac; his casibus non tam iura regnauisse priuata, sed publica imperantium. Imo ea, quae consilii, non trahenda esse ad iuris alicuius rigorem. Non ero amplus in his formulis exscribendis.

CODICILLI *connubiales* ILLVSTRIVM.

Quas etiam suppeditare potest dn. PRAES. *tom. 4. reliquiorum lib. 5. n. 38.*

1) imperatorum *connubiorum.* §. 2. Primo accipe *formulas connubiales*, unde dixeris *matrimonia paterno imperio coacta.* Anno 1000. GASTO

an. 1000. *Bearnensis* uicecomes spondet filiam regi Castellae hac formula: *Nouerint uniuersi, quod nos GASTO D. G. uicecomes Biernensis promittimus uobis ALFONSO REGI Castellae & REGINAE uxori uestrae Guilielmann, FILIAM nostram, illustrissimo INFANTI Sancio, FILIO uestro in continenti*, reli-

an. 1129. qua leges apud *Luc.* ACHERIVM *tom. IX. spicilegii p. 126.* Et *idem* in tomo *eodem p. 138.* hanc chartam exhibet connubialem; ubi auus spondet neptem, uiuo filio. *Notum sit, quod Petrus FILIVS meus reliquit in potestate & baillius de me FILIAM suam Sibyllam, ut eam MARITVM. Quapropter TRADO eandem Sibyllam neptem meam in SPONSAM tibi Armanno*, cetera. Magis est momentosum, quod exemplum habetur apud eundem *tom. VIII. p. 245* ubi consponsorum parentes sponsalia celebrant, ignorante

an. 1270. utroque consponso. Formula quidem, quam recito: *Nouerint uniuersi. Quod inter nos ALFONSVM D. G. regem Castellae & VXOREM meam reginam* ab una: *GASTONEM uicecomitem Bearnensem & uxorem* eius ab altera parte de *uno filiorum nostrorum uel SANCTO uel PETRO, quem ad hoc PRAEELEGERIMVS* (ergo filio desponsato nil dum potuit cognitum esse) *dominae GVDELINAE FILIAE Gastonis MATRIMONIALITER coniungendo* pacta inierimus & quae sequuntur deinceps. Parco chartae. Nam innumera exempla docent: *& filios & filias principum desponsatos* iussu parentum eisque nil relictum, quam imperii paterni, imo etiam materni, obsequium. Statim enim post sequitur etiam formula probati obsequii sponsalium a parentibus augustalibus contractorum, his fere uerbis: *Ego infans SANCIVS accipio uos dominam Guiliel-*

lielmam uxorem meam & promitto, quod SEMPER uos habebo & tenebo pro mea VXORE legitima: & ego GVILIELMA accipio dominum infantem Sancium in meum maritum & promitto, quod SEMPER habebo & tenebo uos pro meo MARITO legitimo. Et AMBO praestito SACRAMENTO ad sancta quatuor Dei euangelica firmauerunt. An, post haec solennia, opus fuerit porro *benedictione* illa sacerdotali, nolo nunc requirere.

§. 3. Sed tamen neque foeminas puduit, inire sponsalia, sine arbitro & internuntio. Addo ex eodem exempla. Nam *tom. VIII. p. 259.* extat formula haec: *Nouerint uniuersi, quod ego SAVRA, consilio, adsensu ac laudamento* (non imperio paterno) *Iacobi R. Maiorcarum PATRIS mei, bono animo & spontanea uoluntate capio uos nobilem uirum Petrum de Pinosio in legalem MARITVM habere meque ipsam in legalem uxorem uobis TRADO & ex uobis, deo dante, cupio habere LEGALES INFANTES.* Simili *modo ego PETRVS de Pinosio consilio & laudamento dominae MATRIS meae & auunculi mei & aliorum amicorum meorum, bono animo & spontanea uoluntate cupio uos dictam Sauram in LEGALEM VXOREM habere meque ipsum in legalem maritum uobis TRADO & ex uobis, deo dante, cupio habere LEGALES INFANTES* & quae sequuntur. Vnde satis liquet, etiam consponsos superiores sua uoluntate coactos, dici posse. Quod, sub *spe rati & grati*, quod dicitur spospondenunt parentes: illud liberi haud suo dissensu potuissent euertere. Sed in his causis sponte currentibus non opus est calcari alicuius uiolenti imperii. Taceo fiduciam liberorum, quam habere possunt in parentum consultissima hic ratione.

z) *connubiorum* liberorum 1299.

§. 4. Neque tamen illud omittendum, faciliorem *metus* exceptionem esse aduersus principem parentem, quam patrem subditum in connubio coacto. Vltimo

Metus exceptio a principe patre.

est

est iudex, qui potest eundem in ordinem redigere officii paterni. Non primo, qui, licet negligat patris officium, nimis urgeat filium, subtrahat ei uictum & cultum & centum alia faciat aduersus eundem, impunis est. Vt adeo, si, mortuo patre, poeniteat filium pacti uel connubialis uel alterius: id uitio eidem dari nullo iure possit. Cum humanae actiones omnino abesse debeant a ui metuque, quo utroque ponuntur magis in uitio, quam obligatione. Proinde igitur *Guil.* RANCHINVS *lib. II. uariar. lect. c. 4.* in casu, *an liberi inuiti ad nuptias adigi possint, parentum imperio?* admonet: *arctius est hodie matrimonii uinculum ob sublata diuortia. Idcirco* parentes *imperio sese* uoluntario *abdicare debent aut eo temperanter uti.* Plurima dicerem de hoc consilio. Cum uero uir illustr. DN. BOEHMERVS, in singulari opusculo de *matrimonio coacto*, illud occupauerit, his operis supersedeo.

De matrimonio coacto.

DIFFERENTIA II.

De CONSENSV PATRIS *necessario uel minus.*

CONSENSVS PATRIS I. R. a) praecedat.

R. I. in nuptiis liberorum PATRIS CONSENSVS plurima habet singularia, ceu reliquias imperati quondam liberis connubii (a). Nam opus fuerat eodem ANTE NVPTIAS, post enim frustra ille fuit requisitus, ne uideretur, quod semel factum, reddi non posse infectum (b). Deinde sine eodem nuptiae fuerant IPSO IVRE nullae, neque opus tum aliqua dissolutione.

b) alias i. i. nullae.

Nam

Nam, patris consensu neglecto, neq; *dotis* neque *legitimorum* liberorum iura, sed ultimi spuriorum loco habendi (c). Porro frustra tum ARGVTIAE liberorum, causas non esse patri idoneas, ad negandum consensum: steterat enim pro ratione patris uoluntas (d). Demum eodem opus in nuptiis NEPOTVM, siue mortuus fuisset pater siue uiueret. Quia patri familias, siue liberi contraherent nuptias siue nepotes, ferenda fuerant onera matrimonii. Victum & cultum ab illo expectauerant desiderauerantque noui coniuges. Vbique ex aduerso IVRA GERMANICA. Vti enim, matrimonii iure, liberi emancipantur: ita par est, contrahi ideo limites patriae potestatis in liberorum connubiis (e). Hinc in alia omnia ire solemus Germani. Nam patrem POSTEA consensisse liberorum nuptiis, satis

c) remotis argutiis.

d) in nuptiis nepotum.

CONTRA *I. G.*

a) sufficit ratihabitio.

b) opus dissolutione. est (f). Deinde consummato nuptiis semel matrimonio, dissentiente licet patre, illud uel SVBSISTIT nihilominus, quod sacri canones uolunt uel tamen dissoluendum, iudicis decreto (g).

c) causarum indice. Praeterea, nisi CAVSAS habeat IDONEAS ad dissentiendum pater, eius dissensus non attenditur uel suppletur a iudice (h).

d) finitur in liberis. Demum in liberos haec ei auctoritas, non in NEPOTES siue mortuus sit pater siue superstes (i).

CAP. I. a)

De CONSENSV PATERNO *in nuptiis liberorum.*

Consensu parentum opus omnium iurium quodam concentu. §. 1. Nulli gentium in connubiis neglectum fuisse parentum consensum, facile esset ad probandum, nisi hanc spartam ante nos alii iam occcupauissent. De EBRAEIS lex testatur DEVT. VII. u. 3. parentibus ideo scripta, ne illi liberos elocarent paganis. Quod connubia Iudaeorum fieri non possent sine auctoritate parentum, Comprobat legem exemplum *Bethuelis*, elocantis *Rebeccam Genes.* XXIV. u. 3. 51. Tantum igitur abest, Iudaeorum liberos negligere potuisse consensum parentum; ut potius dici queat, ipsos parentes desponsisse liberos suos, sine consponsorum scientia & adsensu; quem credi non poterat liberos unquam denegaturos. De quo argumento SELDENVS, HOTTINGER, BVXTORFFIVS, alii filo pleniori.

1) Ebraeorum.

§. 2.

§. 2. De GRAECIS adeo certi sunt iureconsulti humaniores, ut perhibeant, coacta matrimonia Latii ex imperio parentum uel Graeciae debere originem uel solis Graecis relinquenda, quorum aenigmatibus connubialibus capti sint deceptique poetae, ut paria adfingerent Romanis *Albericus* GENTILIS *lib IV. de nupt. c.* 7. quem tamen confutabunt ea, quae dixi superius. Interim in Graeciae moribus inuestigandis non est opus fabulis MVSAEI *in amoribus Heri & Leandri n.* 181. ὀυ γὰρ ἐμοῖς τοκέεσσιν ἐπεύαδεν, *non enim meis parentibus placet*, quorum opus uoluntate in nuptiis. Neque EVRIPIDIS *Andromache*, ubi puella *uers.* 987. 988. respondet Oresti, nuptias ambienti: Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν ὁ πατὴρ ἐμὸν: Μερίμναν ἕξει, τ' ὐκ ἐμὸς κρίνειν τάδε, *desponsationis meae* pater *meus* curam *habebit &* non *est* meum *statuere de hoc.* Lex ipsa uult: ut liberos desponsent *pater, frater, auus maternus, tutor, iudex*, quam explicat *Samuel* PETITVS *lib. VI. ad LL. Atticas tit.* 1. & SALMASIVS *de modo usurar. c.* 4. FABROTVS *diss. X.* 2) *Graecorum*,

§. 3. Nobis nunc res est cum ROMANIS: quos *patribus* liberorum sponsalia & nuptias plena & larga manu dedisse, scriptum est probatumque *differentia I. cap.* 1. uniuerso. Frustra igitur sunt, qui dubitant de edicto Iustiniani eiusque ante cum ueritate in *pr. Inst. de nupt.* ubi nuptias legibus Romanis conformes definit: *dum tamen, si filiisamilias sint* (quia emancipatis libera connubia etiam patre non salutato) *CONSENSVM habeant PARENTVM* (patris aut aui), *quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & ciuilis &* naturalis *ratio suadet. In tantum, ut IVSSVS parentis PRAECEDERE debeat.* Quid uero hic uox *iussus*? Putat HOTOMANNVS (*) *iussus* uerbum accipi- 3) *Romanorum.*

An IVSSVS *patris plus, quam* CONSENSVS.

(*) HOTOMANNVS ad *h. l* laudat pro sua sententia *l.* 2. *soluto matrim. D. de solut. matrim.* Intelligit eius §. 1. sed ibi tantum habetur, dotem non reddi alii, quam illi, quem reddere *iusserint & pater & filia.* Vbi omnino etiam iussus debet praecedere. MVRETVS h. l. idem

 endum

endum hic eſſe in ſignificatu laxiori pro *conſenſu* aut *uoluntate*. Sed rectius BALDVINVS (*) *iuſſum* ab utroque diſtinguit. Non enim ante cogitare debet de nuptiis filiusfamilias neque ante ſolicitare foeminam certam ad nubendum; quam utrumque facere *iuſſus* ſit a patre. Aliud in impetrando conſenſu, qui poteſt ſubſequi: cum *iuſſus* illa ſit indoles, ut praecedat negotium. Clare hoc dicitur in *l ſi quis mihi 25. §. 4. D. de adquir. uel omitt. hered.* quae uerba Caii Caſſii merentur hic legi & expendi: *IVSSVM eius, qui in poteſtate habet, non eſt ſimile tutoris auctoritati, qui interponitur,* * *PERFECTO negotio: ſed PRAECEDERE debet.* Tria ergo haec in iure noſtro caute diſtinguuntur. Nam in *conſenſu* ſatis eſt, eum dari perfecto negotio: in *auctoritate* ſatis, ſi in ipſo negotio ſtatim interponatur: *iuſſus* autem neque ſubſequi negotium neque ei interuenire; ſed *praecedere* debet omnino. Tantum igitur abeſt, imperatorem *iuſſus* uocem in ſenſu laxiori adhibere uoluiſſe, ut reſpondere debeat *conſenſui*: ut potius uerbi *conſenſus* ampliores in hoc loco limites ſint, ut reſpondeat etiam *iuſſui*. Id enim edicti finis exigit: *IVSSVS parentis PRAECEDERE debet.* Et quis? quaeſo! dederit hoc licentiae *filiifamilias*, uxorem ducere in domum patris, hoſpitem domicilii paterni & alumnam futuram patris, ipſius iniuſſu. Ante enim *duci* non potuit uxor, ſcilicet in domum patris, alienam, ſine eius, ceu domini, uenia & conceſſu. Num ducenda uxor? quae du-

cum illo ſentit confugitque ad *l 29. ſi ſuſpecta D. de inoff. teſt.* Vbi §. 3. dicitur, quod foemina nullum filium adoptare poſſit, ſine *iuſſu* imperatoris. Sed etiam hic *iuſſus* negotium debet *praecedere* adoptionis. In *l. 5. C. de nupt.* habetur quidem: *ſi pater nuptiis contradixerit, uereri non debes, quin nepotem ſuum non agnoſcat.* Sed aliud eſt, coniectura uti, quid pater facturus ſit, aliud definire, ad quid *lege ſtricta* teneatur. Vbi certe *ſilentium* patris non operatur eius *iuſſum*.

(*) Quem ſemper facio maioris, quam alios. Inde *Hotomannus* ei plurima refert accepta.

cenda?

cenda? id omne, quod in *diss. l. c. 1.* ostensum, pependit a patris solius arbitratu.

CAP. II. b)

De consensu patrio nuptias antecedente.

§. 1. Sed obmouent tamen leges, unde pateat, *sufficere in nuptiis consensum patris, licet ille non* praecesserit *negotium, sed* accesserit *ei aut demum fuerit* subsecutus. Nam in *L. 12. nec filium C. de nupt.* illud tantummodo requiri, *ut in contrahendis nuptiis patris consensus* ACCEDAT. Accedere autem, esse temporis cuiusuis, etiam post negotium confectum. Verum frustra ex hoc uerbo, *accedere*, quod hic est ambiguum, cum, quod *praecedit*, etiam *accedat*, imperatoris clara & definita uoluntas in *pr. Inst. de nupt.* impetitur. Deinde in *L. 68. dotis promissio D. de iure dot.* decidi his uerbis: *Dotis promissio non ideo minus ualet, quod, ignorante INITIO patre, NVPTIAE NON fuerint. Si POSTEA consenserit.* Sed, meo indicio, lex haec nostrae sententiae conducit: quoniam ex eo tantum modo tempore *nuptiae* habentur, ex quo parentis accessit consensus. Igitur *consensus patris* omnino, instar causae, nuptias facit: quae suo effectu nequit esse posterior. Porro urgent, in *L. 13. quid ergo pr. D. de his, qui not. infam.* haberi: *Quid, si, postea quam duxit* (filius infamia notatam) *ratum habuerit? Vtpote* initio *ignorauit, talem esse*, postea *scit? Non notabitur. Praetor enim ad initium nuptiarum se RETVLIT.* At causa haec plane non tangit a nobis propositam quaestionem. Non enim hic requiritur: *utrum pater initio iusserit filium talem uxorem ducere: sed an sciuerit eius sponsae nouam infamitae?* quam postea comperit. Quod si enim nesciuit pater, non deliquit aduersus leges, iubendo filium, ducere infamem. Licet post noluerit nuptias filii dissoluere. Imo

Num CONSENSVS *patris sufficiat, si ille* SVBSEQVATVR.

Oppositiones

a) l. 12. C. de nupt.

b) l. 68. D. de iur. dot.

c) l. 13. D. de his, qui not. infam.

Cursim de l. 11. D. eodem.

finis legis anterioris ii *D. de his, qui not. infam.* filium, *infamem* ducendo, *iussu* patris, liberat a poena ideo, quoniam credendus sit, magis patris uoluntate, quam sua duxisse: ut adeo omnino ueniam, in leuiori hoc delicto, mereri uideatur. Vnde satis clarum est, quod nuptiae a iussu olim pependerint parentum. Illud igitur I. R. certissimum: nuptiis: semper *praecedere* debuisse patris *consensum*; *subsequi* nunquam.

SVBSEQVENS *consensus an* RETROTRAHATVR?

§. 2. Igitur etiam illud fidenter definimus: *si nuptiis, sine consensu patris contractis, postea,* forte biennio praeterlapso, *accesserit consensus paternus, eundem non retrahi I. R.* Sed isto biennio manere nuptias illegitimas, neque purgari ex subsequente consensu. Adeo, ut liberi intra primum biennium procreati, omnino habeantur pro *illegitimis.* Neque hic aliquid datum honori matrimonii: quod ex eo tantum tempore, in quo accessit consensus paternus, incipit esse & haberi pro legitimo. Inde est, quod uxor, ducta sine consensu patris, adulterium non committat, si cohabitet alii, quam parum legitimo marito, licet postea patris consensus accesserit *L. si uxor 13. §. 6. D. ad L. Iul. de adult. coerc.* Putas quidem aduersus hanc Cuiacii sententiam, MARCILIVS ad *pr. Inst. de nupt.* casum hunc singularem esse, ad declinandas adulterii accusationes. Sed quid opus est, haec gratis fingere: cum clare praecipiat imperator, consensum paternum *praecedere* debere, non subsequi. Et magis intererat reipublicae R. cauere clandestinas nuptias, quam adulteria ferre impunita. Sed oggerunt *L. 5. & 10. C. de testament. tut.* atque *Nouell. 80 c. 9.* ubi liberi fiant legitimi per subsequens matrimonium. Nam I. R. grauius peccatur in parentem, uxorem ducere eo inuito ac nesciente: quam consuetudinem habere cum muliere & cum ea postea, ex consensu patris, inire matrimoni-

monium legitimum. Vt adeo, a consuetudine cum muliere ad clandestinas nuptias, nullum sit uinculum consecutionis.

CAP. III. e)

Matrimonium, SINE *paterno consensu*, NVLLVM.

§. 1. Cum plurimum intersit; *num contractus ipso iure nullus* & contra, *ubi opus illius iudiciaria dissolutione:* primum omnino dici debet de *nuptiis* inuitis *sine* patris *consensu*. Ita enim clare ac definite Iustinianus §. *pen. Inst. de nupt. si aduersus ea* (sine consensu paterno) *aliqui coierint, nec uir nec uxor nec nuptiae nec matrimonium nec dos intelligitur. Qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt; sed uulgo conceptorum & spuriorum instar.* Idem *in l. 11. Paulus D. de statu homin.* Idem *in l. 2. D. de ritu nupt.* Firmat hoc unicum exemplum, adprobatum iudicio Vlpiani in *l. 1. ait praetor §. 5. D. de liberis exhib.* quae meretur exscribi; *Si quis filiam suam, quae mihi sit nupta* (forte sine patris consensu) *uelit abducere* (ex domo mea mariti) *uel exhiberi sibi desideret: an exceptio danda? Et certo iure utimur. Ne bene concordantia matrimonia, iure patriae potestatis, turbantur. Quod tamen sic erit accipiendum, ut patri* * *persuadeatur: ne acerbe patriam potestatem exerceat.* Posset quidem ex illis, quae in *diff. I. c. 1. §. 6.* dicta sunt, dubitari, utrum haec lex agat de nuptiis ipso iure *nullis*, ob consensus paterni absentiam; an uero de patris illa potestate in dirimendo nuptias, etiam legitime initas, per diuortium: sed, cum sustulerit hanc licentiam Iustinianus, haud dubie non alio sensu legem in pandectis reliquit, quam eo, quem indicauimus. Vt adeo, iusto fidentior, in ea sigillatim laudanda Hotomannus.

Num matrimonium s. c. p. NVLLIVM?

§. 2. Quid autem quaeso! reponendum ad sententiam PAVLI *lib. 2. tit. 19. §. 2.* Vbi decisio est haec: *Eorum qui*

Oppositio uerborum PAVLI facilis, quam

ueteres inter inexplicabilia. *qui* in poteſtate *patris ſunt*, *ſine* uoluntate *eius*, *matrimonia* iure *non contrahunt.* *Sed* contracta *non* ſoluuntur. *Contemplatio enim publicae utilitatis priuatorum commodis praefertur.* Maximus uir CVIACIVS *lib. III. obſeru. c. 5* nobis haec opponit dicitque; matrimonia, ſine conſenſu parentum inita, *iniuſta* fuiſſe, non autem *nulla*. Quod ultimum ideo neget Paulus. Quoniam adfirmet: *contracta ideo* (deficiente conſenſu paterno) *non ſolui*. Non uero opus eſt ad hunc ſcopulum deuitandum. Vt perhibeamus, omittendam eſſe, in hoc Pauli loco, particulam *non*. Quam Gothica manus temere addiderit, liberalior in indulgendo connubia ſine patrum conſenſu. Vti arbitrantur GROTIVS *lib. II. de iure B. & P. c. 5. n. 14. in notis* & *Iacob.* GOTHOFREDVS ad *l. 210. D. de reg. iur.* Nam facile hunc nodum ſoluit *Franc.* DVARENVS *prooemii n. 2. tractatus ſoluto matrimonio. quem. dos ſoluatur*, ubi inquit: *Hoc*, (contractum non ſolui) *non ita eſt accipiendum, quaſi ratum ſit matrimonium, quod ſine uoluntate parentum contractum eſt. Sed, * ſi uolente patre contractum ſit, non ideo poſtea diſſoluitur, quod pater in ea uoluntate non perſeuerauerit.* Ita clarum eſt, ut nemo habeat, de quo poſſit porro dubitare, ſed illius rei oportet aliquem meminiſſe: olim id ſibi adrogauiſſe patres, ut, liberis inuitis, non ſolum nuptias imperarent: ſed etiam iterum rumperent, pro lubitu contractas, iterum liberis inuitis & repugnantibus, uti ipſe CVIACIVS oſtendit *ad Nou. 22.* A qua ultima licentia patres repreſſi auctoritate *L. 5. diſſentientis patris C. de repud.* atque *L. 32. cum hic §. 19. D. de donat. inter uir. & ux.* (†) Addi poteſt *Henr.* BROVWER *de iur. connub. lib. 1. c. 7. n. 14. 15.*

(†) Patrum eo proceſſiſſe conatum, ut, iamnunc a ſe coacta & liberis imperata & perfecta connubia, iterum ſoluerent pro lubitu liberosque non tam adigerent ad repudia & diuortia, quam haec imperarent, liberis inuitis, dolentibus & recuſantibus, illud quidem dictum *dif-*

CAP.

CAP. IV. d)

De patre dissentiente PRAETER CAVSAM.

§. 1. Neque uero paterno consensu ita opus fuerat, ut oporteret parentem causas indicare sui dissensus aut consensus negati. Illud enim esse uidebatur indignum patria potestate, dimicare cum filiofamilias uerbis & argutiis. Inde acquiescendum fuerat liberis uoluntate ac iussu sui parentis. Hoc acquiescere illos oportuit instar subditorum & seruorum in principis ac domini legibus & mandatis.

CONSENSVS *patris sine* RATIONE *uel datur uel negatur.*

§. 2. Quid enim? iussit pater, ducere aliquam, cum periculo & nota infamiae? Olim certe hanc recusare uix poterat filius. Inde leges filio subueniunt ueniamque dant facinoris, ad quod patris iussu fuerit adactus & compulsus etiam sine sua uoluntate. Ita enim *l. liberorum 11. §. ult. D. de his, qui not. infam. Excusantur* (ab infamiae nota, quam ideo incurrunt alii), *quia iussu eius, in cuius potestate est, duxerit. Nam qui obtemperauit* (obsequio paterno) *VENIA dignus est.* Quam certe hodie non merebitur filius, postquam patrem oporteet causas allegare denegati consensus & matrimonia absunt ab omni patris coactione. Nota enim & macula post inter causas relatae, excusationis ab imperatis nuptiis etiam I. R. Quod supra scriptum *differ. I. litt. b. p. 7.*

Quia 1) iussus sine ratione.

§. 3. Inde consilia praetoris & iureconsultorum: ut pater in sua in filiofamilias filiasque potestate aliquantum sit iusto indulgentior, remittatque aliquid de iuris rigore in gratiam connubiorum. Quae cum olim con-

2) *LL.* CONSVLVNT patri, *ut remittat de potestatis* RIGORE.

---

fer. I. c. 1. §. 6. quicquid etiam sit de *l. 1. D. de liberis exbib.* Hoc igitur, qui secum expenderit, ille nulla difficultate intelliget, eo etiam patriam potestatem protulisse limites, ut imperarent liberis nuptias, obtruderent illis sponsos & sponsas, inuitis & recusantibus. Verum damnasse hanc licentiam & lubidinem parentum & iureconsultos aequiores & imperatores; illud quidem dubio caret. Vt leges ideo uale difformes & multiplices.

filia fuerint & honorarii iuris, post legis acceperunt auctoritatem. Ita enim VLPIANVS in *l. 1. ait praetor §. fin. D. de liber. exhib.* philosophatur: *Et certo iure utimur, ne bene concordantia matrimonia* (ubi nulla idonea causa, coniugum intuitu) *iure patriae potestatis turbentur. Quod tamen sic erit adhibendum, ut PATRI PERSVADEATVR* (non ei mandetur), *ne ACERBE* (sine causa, quod fieri poterat ex iuris rigore) *patriam potestatem exerceat.* Imperatores autem hanc licentiam parentum arctioribus constrinxerunt limitibus: si is, inuitis liberis, matrimonium rumpere uellet, olim illius consensu contractum. Tum enim *magnas* & *iustas* habere debuit causas, ut uult *l. dissentientis patris 5. C. de repud.* non uero in contrahendi matrimonii negando consensu.

d) *Consensus instar* IVSSVS, PRAECEDERE *debuit. E frustra liberorum in nuptiis philosophia.*

§. 4. Praeterea si matrimonia liberorum contrahi debuerunt nonnisi ex parentum *iussu pr. Inst. de nupt.* id satis erat ad eorundem nullitatem probandam, si contracta essent patris *iniussu.* Neque pater ad *iubendum* a liberis potuit adigi. Sed primum ostendimus *diff. 1. cap. 1.* uniuerso atque *differ. 2. cap. 1. §. 3.* Tum ideo *praecedere* debuerat matrimonia paternus iussus *pr. Inst. de nupt.* ne liberi uinculis se irretire possent, unde difficile esset parentibus, ad liberandum & extricandum. Vt adeo iure dicatur, consensum a patre negatum ἄνευ προοιμίου. Omne connubii momentum pependit a patris libero imperio, non deminuendo argutiis liberorum.

CAP. V. e)

De AVI consensu necessario in nuptiis NEPOTVM.

DE CONSENSV AVI, *patre uiuo.* f) *causae.*

§. 1. Firmiter existimo: *in nuptiis nepotum aui consensum fuisse requisitum*, si quidem *pater* uel in *aui* adhuc potestate fuit uel, *nepote excepto*, filius a patre emancipatus. Vtrumque sane aliter esse non potuit. Nam in aui familiam

miliam ac demum nepos, sub aui potestate, constitutus, duxit nuptam: non in patris. Auo deinde onus accessit, alendi nuptam: non patri. Imo etiam *dotandi neptem*, ut habet interpres Graecus sigillatim ad *l. u. Basilic. lib. 28. tit. 4.* Et, si *iussus* in nuptiis fluit ex patria potestate, ut *pr. Inst. de nupt.* cuicunque demum illa competat *l. 2 D. de ritu nupt.* & alibi passim habetur, ille non patri competet, sed auo. Quia ultimo potestas patria, non primo §. 3. *Inst. de patr. potest.* Inde est, quod leges faciant mentionem consensus *parentum*, non *patris solius pr. Inst. de nupt.*

§. 2. Verum his uerbis & rationibus non est opus. *2) Lex.* Nam clare ac definite legislator in *l. si. nepotem 3. D. rit. nupt.* Quae est haec: *Si NEPOTEM ex filio & NEPTEM ex altero filio in potestate habeam, nuptiis inter eos, ME SOLO* (auo) *auctore* (neglecto consensu patris) *contrahi posse, Pomponius scribit & uerum est* (*).

§. 3. Opponere tamen his audent *l. oratione 16. D. de ritu nupt.* quae est haec: *nepote uxorem ducente, & FILIVS consentire debet. NEPTIS uero si nubat, uoluntas & auctoritas AVI sufficiet.* Vtraque lex Pauli est, omissa in *Basilicis* suo loco. Neque illius mentio in *Anianis* fragmentis. Cum Gothico iure nuptiae eximunt ex patria potestate, ut aui consensu opus esse, nequeat. Graeci uero neutrum uoluerunt definire, ne minuere uiderentur potestatem aui, prolatam alias in nepotes. *Oppositio l. 16. D. d. R. N.*

§. 4. Soliciti igitur sunt de utriusque legis, sibi paulo aduersae concentu ac conciliatione. WISSENBACHIVS putat, ultimam legem habendam esse pro iuris axiomate; *quod, NEPOTE uxorem ducente, & AVI consensu opus sit & PATRIS.* Primam autem excipere casum singularem, *Legum conciliatio.*

(*) Veterani supponunt in hoc casu filium, unde *nepos* pronatus, iam demortuum fuisse. Vt adeo de consensu illius non potuerit *nepos* esse solicitus. De quo HVNNIVS *lib. I. tr act. 2. q. 16.*

ſi *nepos neptem* ducat *aui* eiusdem. Tum enim *patris* conſenſum negligi poſſe, ob fauorem manentis connubii in eadem familia. Quod calculo etiam ſuo probant BACHOVIVS ex eoque VINNIVS & BRVNNEMANNVS. Meo iudicio primum aequitatis & *comitatis* fuerat: alterum rigoris & duritatis, in patrii iuris ſeueriori uſu. Quid uero in colliſione uoluntatum *aui* & *patris?* Non crediderim, primam ceſſiſſe ultimae. Neque primam ideo deſtitutam effectu. Videtur tamen Paulus in *l. 11. D. de ſtatu hom.* eius *nepotis* nuptias pro nullis habere & liberos eius pro *illegitimis*, quas iniit ille, *aui* iuſſu ſolius, patre ignorante. Quicquid ſit, *aui*, certum eſt, opus fuiſſe conſenſu in nuptiis tam *neptis*, quam *nepotis*.

Diſcrimina inter neptem *&* nepotem *qui in* l. 16. D. de R. N.

§. 5. Ceterum, quare in *neptis* connubio ſufficiat conſenſus *aui ſolius, paterno* neglecto: illud quidem certum eſt, factum eſſe ob diſcrimina ſucceſſionis. Nam *filius patri* adnaſcebatur heres & heredes gignebat, ut ideo eſſet durum, huius excludere conſenſum in nuptiis, unde ſpes nouorum eius heredum: quod utrumque in *filia* ceſſauerat. Nam oportuerat hanc dote, ab auo data acquieſcere neque porro uel ipſa uel eius liberi paternorum bonorum heredes. Verum cum hodie NOV. 118. ſuſtulerit inter agnatos & cognatos ſucceſſionum diſcrimina: haud dubie lex etiam ipſa concidit cum ſua, quam habuerat olim, ratione.

Qui hodie ſublata.

CAP. VI. e)

COLLATIO DISCRIMINVM *paterni conſenſus, neceſſarii uel minus in nuptiis liberorum in I. R. atque I. G.*

Diſcrimen neceſſarii conſenſus I. R. minus I. G.

§. 1. Quibus moribus hodie nos utamur, illud quidem memini poteſt eſſe obſcurum. Cum igitur ex Latii uetuſtate eruerimus, quae Romanis olim propria, in

paterno

paterno consensu, liberorum nuptiis necessario: facile nunc est, ad utriusque iuris *Romani* & *Germanici* nunc expendendum causas, inuicem magnopere diuersas, fontes genuinos diuersarum sententiarum.

§. 2. Nam *primo* patrisfamilias Latii potestas erat I.
perpetuaria in filios, nepotes, posteros omnes duratura, usque dum mors eam finiret. Filii egerant sub eadem, licet *uiri*, *mariti*, *patres*, *aui*. Adeoque liberi, ut a patris iussu imperioque pependerunt in aliis negotiis omnibus siue humanis siue diuinis, nam egerant & in sacris paternis; ita etiam in causa *connubiali* eis patris iussus fuerat expectandus, nec ideo grauabantur. Verum Germanorum iura patriae potestatis uinculum rumpunt illico ex causa multiplici. Nunc ob *aetatem*, si liberi maiorennes; nunc ob peritiam & *artes*, si liberis uires ad se alendum & instituendum familiam singularem; nunc ob *dignitatem*, quod inconcinnum, aliis imperare & agere sub obsequio alieno; nunc ob *nuptias* quod puduit Germanos maritos fieri, liberos procreare & nomine destitui patrisfamilias. Parum igitur interesse uidebatur patris Germani, liberos per nuptias se emancipare, sine consensu eius; quod nec aliae illis deessent uiae ad relinquendum patrios lares, parente inuito.

I. R. patria POTESTAS PERPETVA *G. I.* TEMPORARIA.

§. 3. Deinde quod I. R. liberos oportuerit acquirere patri & eius adaugere rem familiarem; igitur e re patris fuerat, nuptias non contrahere eosdem, nisi iussi, ne operis liberorum ita obiicerentur mille impedimenta. Contra I. G. eo tempore, quo liberi ad utiliores operas habiles, statim cogitant de noua familia & oeconomia. Quod cum pater nulla lege possit impedire: igitur parum est patri: siue ita liberos amittere, siue nuptiis, instituto illorum ac uoluntate contractis.

II. *R. I. liberi* ACQVISIVERANT *patri: G. I. sibi.*

§. 4. Cum etiam R. I. filius, maritus, uxorem duceret

III. *R. I. pater filium* ALVIT

MARITVM *cum eius uxore, liberis; non I. G.*

ceret in *domum patris*, cui illa *alenda* cum futuris ex connubio liberis; quis quaeso! uitio uerterit patri, liberorum nuptias suo iussui seruare, non uero exponere lubidini & libidini liberorum. Contra cum filiusfamilias I. G. suam alat uxorem, sine patris impensa auxilioque: facile nuptias indulgere potest filio. Patris certe parum aut nihil interest, diuitem ducat, an pauperem; laboribus, an otio adsuetam. Imo cum R. I. filia sponsa a patre *dotanda* esset; contra G. I. hoc officio non teneatur pater inuitus, quod alibi dictum: igitur recte sine suo iussu filiam non dimittet pater Romanus: cum ex aduerso Germanus non habeat, quod palleat aut extimescat pater filiae desponsatione, facta licet eius iniussu.

Consilium forense.

§. 5. Plura adderem, nisi haec satis essent, ad illud ostendendum forensibus iureconsultis: frustra patrem Germanum, in liberorum desponsatione, sine eius iussu facta, animum suum obfirmare in consensu denegando. Imo nugas agere, quotquot eius pertinaciam in liberos armare audeant ex legibus Romanis. Ineptum est, quicquid fere ex illis hic requiritur. Contra durae parentum ceruices frangendae rationibus, e patrio iure repetitis. *Auget* officium patris filius *maritus* R. I. sed I. G. *minuit* ac tollit. R. I. filius *maritus* ducit uxorem in domum patris: R. I. turpe est ei, non propriis laribus gaudere. R. I. filius maritus onerat patris familiam: G. I. leuat. R. I. nurus hospes & conuictor soceri: G. I. id pudendum, saepe etiam ipse socer eius conuiua. R. I. patrem *dotare* oportet filiam elocatam: G. I. filiae satis, olim esse patris heredem. Omni igitur iure in consensu, liberorum nuptiis dando, liberaliores & indulgentiores esse debent parentes Germani, quam olim fuerant per iura Latii.

CAP.

CAP VII. f)

Patris RATIHABITIO *I. G. est instar* CONSENSVS *trabiturque* RETRO.

Num svbsequens consensus retrotrahatur?

§. 1. Ostendimus *cap 3.* Romano iure nuptias, contractus *sine parentum consensu*, ipso iure *nullas* fuisse. Et *cap. 2.* licet postea accesserit patris consensus, tamen uitium *nullitatis*, tempore futuro sublatum, non praeterito, quod *consensus* non fuerit ad illus retractus aut uocatus retro. Hinc antea non *nuptias* fuisse, sed *contubernium:* non liberos genitos *legitimos*; sed nothos & *spurios:* non *dotem* aut alimenta debita, sed diras & dicam. Quis crederet, inter iureconsultos nostri aeui dari etiamnunc, qui senserint moribus nostris idem: non intellectis Latii & Germaniae aut orbis propemodum uniuersi, in quo patriae potestatis perpetuitas sublata, discriminibus ac differentiis.

Rigor improbatus Brovweri.

§. 2. Scilicet placet probaturque is rigor patrissantis Latii hodieque *Henr.* BROVWERO *de iure connub. lib. 2. cap. 24. n. 44.* (*) Licet enim immorigeris liberis, paterni

(*) Ne quid uiri doctissimi sententiae adfingere uideamur, eam hic exscribemus. *Irritum est matrimonium sine consensu parentum contractum. Etiamsi uero patres post* CONSENTIANT *matrimonio, id tamen ipso iure* NVLLVM *est. Neque, quod publici iuris, pactis priuatorum potest derogari* l. 38. D. de pact. *Neque etiam calliditatis fructum liberi debent obtinere* l. 3. C. de repud. *Non nego, parentes consentire matrimonio posse. At uolo, ut ratum & uerum id existat* (iudicis auctoritate); *liberi olim nati legitimi reddantur* (legitimentur): *satisfaciendum esse politicae constitutioni* (prohibitiuae aduersus nuptias clandestinas) & *praeuiis trinundinis* DENVNTIATIONIBVS (*sollen wieder aufgehoben werden;*) *more recepto* CELEBRANDAS *iterum nuptias.* (Conuiuium intelligit & *benedictionis sacerdotalis* repetitionem). *Hisce obseruatis*, inquit porro, *demum sentio consensum parentum retro operari. Neque dum probati coniugii iura plene consequuntur. Sed si* minores *ingratiis* necessariorum *aut* curatorum *matrimonium perficere, ipso iure* IRRITVM NON *est.* PARENTVM *consensus hodie* NECESSARIVS, *ut* CONSTENT *nuptiae:* CVRATORVM & *propinquorum auctoritas ex* HONESTATE *requiritur. Potest tamen, si alia concurrant, etiam sic matrimonium, iudicis decreto,* IRRITVM *fieri.* Miror & stupeo. Quaeso, quis rigor & duritas. Seuerior sanctione Latii. Quae ex eo tempore agnouit nuptias, olim irritas, pro legitimis, ex quo accessit patris auctoritas & uoluntas. Intuitu reipublicae aut poena nulla aut certe non ea, quae tolleret *matrimonii* uim. Aliud enim est, prohibere sub *poena*; aliud sub poena *nullitatis.* Plurima *iniusta*, quae ideo non sunt *nulla*.

con-

consensus contemptoribus, postea ueniam dent parentes; consentiant eorundem nuptiis, olim suo iudicio damnatis aut ignoratis; imo adprobent illas, forte rectiora docti, dispulsis calumniis maleuolorum; nouos insuper coniuges amore complectantur, uere paterno: non sufficiunt haec rigido censori, ad uitio neglecti consensus paterni tollendum aut purgandum. Putat enim ante etiam legibus satisfaciendum, sustinendam poenam, repetenda connubii solennia, legitimandos liberos: quam hoc detur accessui consensus paterni, ut *contubernium* uertat in *matrimonium*. Verum enim uero, uti nemo negat, clandestinas nuptias mereri poenam: ita haec non requirit, ut illae habeantur pro nullis; ut liberi inde nati habeantur spurii & nothi; ut repetantur ceremoniae denuntiationis, sacerdotis bona uerba, conuiuium nuptiale, cetera cum dedecore & opprobrio.

Quod I. G. consensus RETROTRAHATVR. *Probat* 1) *ex responsis ICtorum.*

§. 3. Veriores igitur illi iureconsulti, qui existimant; *quam primum nuptiis libererum accesserit consensus paternus, eundem quoque trahi rerorsum ad tempora praeterita & ipsum nuptiarum, illicitarum olim, purgare originem.* Clare ac definite VINNIVS, Brouweri doctor, in *comment. ad pr. Inst. de nupt. p. 46.* scribit: *Hodie tamen dicendum uidetur, patris consensum,* POSTEA ACCEDENTEM, *etiam* RETRO *operari.* Addit causam: *cum licet concubinatus damnatus, nihilominus subsequens matrimonium retrotrahatur* (*). *Et hoc usu apud nos seruari, adserunt, qui rem forensem tractant. Licet Carolina constitutio 4. Oct. 1540. ratihabitionem uideatur impedire.* Huic iungere licet Germaniae etiam nostrae iureconsultos plures. Vt sunt GAILIVS *lib. I obs. 112.* & *lib. 2. obs. 48 95.* COTHMANNVS *uol. 1. cons. 1 n. 148.* SICHARDVS *matrim. cons. 3.* BRONCHORST *3. ἐναντ. assert. 4. Ioan.* KITZELIVS

(*) Etiam hoc iudicium est BACHOVII ad *pr. Inst. de nupt.* quem, uti alias semper, ita etiam hic exscribit. Nomine suppresso.

in

in practica matrimoniali cap. 4. th. 2. litt. g. Vbi his uerbis utitur iudicioque: *Fauore matrimonii & liberorum, consensum parentum, postea interpositum, perinde esse, ac si praecessisset & nuptias ab initio etiam legitimas reddi. Cum iura diuina & canonica consensum parentum magis desiderent honoris causa & proprii commodi ergo: quam ad integrandum actum.*

§. 4. Neque hoc dogma tantum iureconsulti tuentur in suis responsis: sed etiam sequuntur illud sacra tribunalia in decidendo ac iudicando. Formula uerborum, quae sequuntur: *Weil beyderseits Eltern ihren wieder die geschehene verehlichung gethanen einspruch zurück genommen, auch nunmehro ihre einwilligung zu derselben gegeben; so wird dieselbe, von der Zeit, als solche vollzogen, vor gültig und rechts beständig billig erkannt.* Plures eius generis sententias adfert *Hieron.* BRVCKNERVS *decis. matrim. cap. 2. n. 98. p. 149. 150.* 2) *forensibus sententiis.*

§. 5. Idem uolunt etiam leges ecclesiasticae ueteres ac nouellae De *primis* ideo non est operae pretium, aliquid requirere. Quoniam supra *diss. 1. cap. 2. §. 4.* dictum: consensu neglecto, non ideo matrimonia fuisse nulla barbaro iure; sed negligentibus consensum paternum indictam fuisse *mulctam* & poenam, destituendi liberos immorigeros, si ita uellent parentes, *hereditate.* In nostri autem & superioris aeui statutis Germaniae Euangelicae pariter id habetur. Qualia congessit GIESEBERTVS *lib. II. pericul. statutor. c. 38. n. 42. 43. 44.* DEDEKENNVS *tom. 3. lib. 3. sect. 4. n. 7. 13.* 3) LL. ECCLESIASTICAE.

§. 6. Sed lumine opus est *rationum* in his utriusque iuris differentiis. Frustra tribuimus hoc fauori matrimonii; frustra honori liberorum; frustra iunioris aeui humanitati; frustra auctoritati canonum; frustra argutiis a concubinatu purgato, nuptiis insecutis. Praesto sunt nostrae Germaniae propria. Nam liberi nostri per matrimonia *emancipantur.* Emancipatorum autem et- 4) RATIONES *diuersae.*

iam R. I. non pagano illo, sed christiano libera connubia necquicquam adligata ad patris consensum. Paternus consensus, honoris causa requirendus, ad decoranda connubia, non ad eadem perficienda; πρέπον legale fuerat in nuptias, non earundem οὐσία. Vt adeo frustra dubitetur de *ratihabitionis* effectu. Causas alias, iuri Romano aduersas, dabit *c. 5.* differentiae eiusdem. Quod hic est repetendum.

CAP. VIII.

Consensu paterno absente nuptiae I. G. num sint NVLLAE *an tantummodo* INIVSTAE?

Propositio de NVLLITATE *nuptiarum, deficiente consensu.*

§. 1. Illud omni aeuo in uariis regnis & a uiris, in sacra ac ciuili doctrina celeberrimis, magna animorum contentione est disputatum: *utrum, neglecto consensu paterno nuptiae ipso iure* NVLLAE *reddantur, an uero tantummodo sint* INIVSTAE, *ut* POENA *ideo animaduertendum in eos, qui ita delinquunt* (*).

TRIDENTINI *sessio XXIV.* SVSTVLIT NVLLITATEM *sub fulmine anathematis* 1563.

§. 2. Pontificii ultimum adfirmant negantque primum inde a tempore concilii TRIDENTINI eo fidentius, quod in *sessione XXIV. an. 1563.* tit. *de reformatione matrimonii cap. 1.* clare decisum: *Dubitandum non est*, CLANDESTINA *matrimonia* (sine consensu parentum contracta) *libero contrahentium consensu facta*, RATA & *uera esse, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit. Et pro iure damnandi, ut eos S. synodus* ANATHEMATE *damnat. Qui hoc negant. Quique falso adfirmant, matrimonia, a* FILIISFAMILIAS SINE CONSENSV *parentum contracta*, IRRITA *esse aut parentes illa rata uel* IRRITA FACERE *posse.* Anathematis hic fulmine impetuntur cum illi, qui nuptias neglecto parentum con-

(*) Verbis ac formulis diuersis proponunt hoc iuris problema. *Vtrum patris consensus de essentia connubii, an uero eius accidens & requisitum* naturale? Vel: *utrum neglectus consensus paternus probibitus sit sub* poena *an* nullitate?

sensu

ſenſu uel ipſo *iure irritas* habent uel id parentibus dant, ut *irritas reddant* uel ſuo arbitratu uel iudicis auctoritate. Ex nexu igitur contrarii ſenſus liquet, patres Tridentinos *nuptias*, ſine parentum conſenſu initas, habuiſſe pro *ueris*, licet liberos immorigeros ideo a poena uel carceris uel mulctae non liberauerint. Hoc enim dediſſe ac reliquiſſe uidentur, cuiusuis loci legibus ac ſtatutis. Licet ſcriptores concilii *Tridentini* Pallauicinus, Sarpius & alii commemorent: hanc de clandeſtinis nuptiis ſententiam multis patribus eius ſynodi diſplicuiſſe, qui ideo noluerint decreto ſuos calculos addere, ut adeo illud iure maioris partis factum ſit; murmurantibus & contradicentibus aliis: putauerim tamen ſententiam concilii omnino ueniam meruiſſe. Cum enim inter pontificios opinio regnet: *matrimonium ſacramentum eſſe*, non uidebatur fore e re chriſtiana, myſterium hoc magis adligare ad alienos parentum ſenſus, quam ad ipſorum conſponſorum uoluntatem. Vti enim in *patris* forte arbitratu, liberos ſecum uocare ad ſacram ſynaxin: ita tamen, ſi liberi ſuo inſtituto, neglecto patris conſenſu, properauerint, non ideo ſacramenti uſus habebitur nullus aut eius efficacia & uis pendebit ab alieno parentum ſenſu ac arbitratu. Eodem igitur iudicio aeſtimarunt matrimonii *ſacramentum.* Neque egomet haberem, quod illis opponerem, ſiquidem mihi perſuadere poſſem *ſacramenti* aliquam in matrimonio & ἱερολογίᾳ illa rationem. *Quod defenditur.*

§. 3. Omnes igitur pontificii, dogmate innutriti *ſacramenti connubialis*, non poſſunt non ſubſcribere Tridentino decreto. Quod ſi enim *matrimonium* haberent irritum ſine parentum conſenſu; concideret uis ſacramenti, quod pendere non debet ab alieno arbitratu, ſed a ſenſu & cultu illius, qui eo utitur. Nam & in- *Nam decreto Tridentino ADVERSA GALLIA?*

fans, inuitis parentibus, baptizatus, haud dubie baptismi est particeps. Caeca igitur dissentientium patrum murmura in synodo non fuerant attendenda. Quid uero GALLI? Illi quidem uti *Tridentino concilio* subscribere, omnino recusarunt: ita etiam liberiores manus habere uoluerunt in hoc argumento. Nam an. 1556. 1560. 1561. 1576. 1585. atque 1629. 1639. constitutiones *connubiales* editae a Galliae regibus in hoc *paterni consensus* argumento, quas exhibent in codicibus iuris Gallici, *Thom.* CORMERIVS *in cod. R. Henr. IV. lib. 1. tit. 3. Barnab.* BRISSONIVS *in basilicis Galliae lib. VII. tit. 2. des mariages clandestins Petr.* GVENOYS *en conference des ordonnances Royaux lib. V. tit. 2. Charondas le* BARON *en Code du Roy Henry III. lib. VI. tit. 2.* aliique plena manu. Temporibus nempe diuersis ante & post concilium Tridentinum. Hoc cum expenderent quidam Galliae theologi, curiae Romanae magis addicti, non solum iudicio suo improbarunt; *quod reges sibi sumerent, quod esset ecclesiae, iudicando de connubiorum indole:* sed etiam diuinarunt inde schisma inter *pontificiam orthodoxiam* & Galliae theologiam *regalem.* Praesertim quod *Tridentina* synodus ad integritatem connubii non requirat *paternum consensum*: quem tamen urgeant *constitutiones regales* nouissimae. Pertinet huc liber pseudonymus, ab OPTATO GALLO editus sub nomine *paraenetici.* Vbi *p. 24.* his uerbis scribit: *Multo me mouet* (ad schisma metuendum) *edictum quoddam* (connubiale) *in Gallia sub regis nomine uulgatum, quod schismatis praeludium quoddam, ne dicam initium. Nam concilium Tridentinum* anathema *pronuntiat in eum, qui negauerit, matrimoniales causas pertinere ad iudices ecclesiasticos. Sed*, regis *nomine, in* Gallia *leges nuptiales eduntur, nouae & Tridentino concilio contrariae.*

REGVM CONSTITVTIONES *connubiales.*

Inde schismatis *diuinatio in Gallia* OPTATI.

Confutatio Isac. HABERTI.

§. 4. Ab hac igitur nota, ut Galliam liberaret, *Isaacus*

cus HABERTVS, *episcopus Vabrensis*, *optatum* consutauit libello peculiari (*). In quo *librum VI.* inscribit: *de iustitia edicti* (Regis Galliae) *connubialis.* Id scilicet egit uir doctissimus, ut nouissimum LVD. XIII. regis EDICTVM, an. 1639. editum, tueretur a schismatis suspicione. Largitur scilicet, interdixisse regem matrimonia, sine *parentum consensu* contracta. Poenam etiam adiecisse *exheredationis;* sed ideo nunquam matrimonia, ob reuerentiam ἱερολογίας, declarata pro cassis & nullis, quibus uis debet adimi sacramenti. Vltimum si haberetur in regali edicto, tum schismatis metuendi fore argumentum. Sequitur iudicium Haberti, in hac causa *Nat.* ALEXANDER *Theologiae moralis lib. 2. cap. 2 artic. 3. p. 112. 113.* & pariter obiectum scopulum & scrupulum obmotum ita solet euitare & effugere. Verum utroque hoc fidentior est *Ioan.* LAVNOIVS (†). Ille enim in libro: *regia in matrimonium potestas part. 2. art. 4. c. 5. p. 297.* non dubitauit adserere. Esse omnino regum ac principum leges scribere connubiales, quibus etiam dirimere queant matrimonia aut illa habere pro nullis, siquidem uel *dissenserint parentes* uel neglectus sit eorundem consensus ab liberis improbis & immorigeris. Quod uero concilii Tridentini decretum *anathema* emittat aduersus ita sentientes & adprobet nuptias sine parentum consensu initas: illud non adeo attendendum, partim, quod magnus patrum numerus contradixerit, partim quod nondum constet de formulae authentia. Et *tribus* annis post nouum librum edidit argumenti eiusdem. Consu-

Ioan. LAVNOII, *longe fidentioris.*

(*) Liber ita inscriptus: *De consensu hierarchiae & monarchiae aduersus paraeneticum Optati Galli, schismatum fictoris libri VI* ed. *Paris.* 1641. *in* 4. Vt omnia alia huius auctoris, ita etiam hoc scriptum doctum est, refertum multis antiquitatum ecclesiasticorum & politicarum litterarum argumentis.

(†. Nomen libri est: REGIA IN MATRIMONIVM POTESTAS *l. tract. de iure secularium principum christianorum in sanciendis impedimentis*, MATRIMONIVM DERIMENTIBVS; edit. *Paris.* 1674. *in* 4.

tauit enim *Dominici* GALESII, Itali librum, inscriptum, *ecclesiastica in matrimonium potestas* (*). In hoc inprimis etiam id egit, ut ostenderet, cassas omni aeuo nuptias fuisse, *furtiuas* illas, sine parentum consensu. Nouissime scribit DOMAT (†) *lib. I. de droit public tit. 19. sect. 3. §. 8. Ainsi, quoique la celebration des mariages soit une matiere spirituelle, qui regarde un sacrament de l' Eglice, le Roys y ont fait des regles sur ce qui se rapporte au temporel. Comme la necessité du consentement des parens au mariage de leurs enfans iusq' a un certain age.* Sed tamen dubito, utrum, post ἱερολογίαν, leges Galliae ideo audeant nuptias, ob neglectum *consensus paterni*, dicere irritas & cassas. Quamuis olim id offenderim, quod *furtiuae* haec nuptiae eodem censu aestimatae fuerint, quam *raptus*. Cui negatae nuptiae etiam post. Sed graue est, irritum haberi sacramentum a rege pontificio, quod ratum habet ecclesia Romana.

Mr. Domat.

EVANGELICORVM *sententiae* MVLTIPLICES.

§. 5. Solis igitur EVANGELICIS legislatoribus & iureconsultis hoc datum est, ut disputent contendantque rationibus: *utrum neglectus paterni consensus uitiet matrimonii substantiam; an rumpat illud, si quidem hoc uelint parentes; an uero reddat tantummodo inofficiosum & poenam mereatur ac poenitentiam.* Cum & theologorum & iureconsultorum hic sententiae multiplices sint: e re esset omnino his litigiis tandem finem imponi a legislatore. Nam in hoc iudicium ualde adprobo *Natal.* ALEXANDRI, *quod in theologia morali lib. 2. c. 2. artic. 3. propos. 2.* prodidit his uerbis: *Cum fide certum sit, ecclesiam matrimonii*

(*) Titulus est hic: *I.* LAVNOII *contentorum in libro sic inscripto, Dominici* Golesii *ecclesiastica in matrimonium potestas, erraturum index locupletissimus* ed. *Paris.* 1677. *in 4t.* Hic animo sentiendi scriptus est licentiori ac liberiori, quam primus. Re enim ipsa ostendit, causas connubiales fori principum fuisse omni aeuo. Vt nequeat illas sacerdotibus & sacris tribunalibus uindicare, quam manus sacrilega.

(†) In codice, quem dixit: *le loix ciuiles dans leur ordre naturel* ed. *Paris.* 1713. *f.*

IMPE-

IMPEDIMENTA *constituere posse; clandestina*, sine parentum consensu suscepta *matrimonia nunc pro* IRRITIS *& cassis declarare potest iterumque* SVSTINERE. PRIMVM facit ecclesia GRAECA, quod constat ex epistola S. BASILII *ad Amphilochium can. 42.* & PHOTII *nomocanone tit. 13. c. 9.* atque ex *iure Gr. Romano tom. 1. p. 205. & tom. 2. p. 101.* ALTERVM ROMANA auctoritate synodi Tridentinae.

§. 6. Breuiter itaque enumerabimus diuersas euangelicorum in hoc dogmate opiniones. Sunt enim *primo* multi, qui adfirmant: *matrimonia*, sine consensu parentum, *nulla esse, irrita, cassa, inania ipso iure.* Licet ἱερολογία facta, imo copula accesserit carnalis aut liberorum procreatio. Non igitur matrimonium in hoc genere dicendum; sed contubernium: non cohabitationem; sed fornicationem: non legitimos inde liberos, sed spurios & nothos. Aguntur certe ita in transuersum nostrates. Partim, quod *Latii* mores causasque distinguere nesciant a *patriis*. Partim, quod ita superstitionem destruere uelint *sacramenti* connubialis, si quidem omnia adligent ad alienas parentum uoluntates. Siue tollere sacramentum uelint, siue sustinere. Improbat hanc doctrinam REC. IMP. *Aug. 1548. erklaerung wegen der Religion artic. 21. §. 9.* his fere uerbis: *dieweil die VAETERLICHE GEWALT dieser vereinigung (trauung) des EHESTANDES V. R. W. weichen muss: soll man die nicht hören, die zu unsern zeiten wollen, dass die Ehe oder versprochene Heurath wiederum ZERTRENNET werden, wo der Eltern bewilligung nicht dabey gewesen. Ob aber die Eltern macht haben sollen, diesen ungehorsam der Kinder durch vorbehaltung der ERBSCHAFT oder Ringerung des Heurath-gutes oder sonsten ZV STRAFFEN, mag die ordentliche Obrigkeit maass geben.* Non de sponsalibus ibi agitur: sed de nuptiis & connubii sacramento. Imo respondent uerba haec illis

1) *Nuptias s. c. p. ipso iure* NVLLAS.

2) VALIDAS *Rec. Imper.* 1548.

lis

lis, quae poſt 1563. adhibita SESS. XXIV. in concilio Tridentino. Vnde facile eſt ad intelligendum, regnauiſſe tum inter euangelicos dogma: *nuptias* (nam de ſponſalibus nemo dubitat) *irritas eſſe aut fieri, initas ſine parentum conſenſu.* Sed tamen ipſe LVTHERVS docuit ex aduerſo, uti *tom. III. Altenburg. p. 376. die, ſo durch heimlich verlöbniſs, WIDER der ELTERN WILLEN in der EHE ſitzen, ſeynd nicht zu trennen. Sie ſollen aber GOtt um gnade bitten* (*). Theologi alii uariant ſuis iudiciis, quod facile conſtat ex *reſponſis*, ſibi inuicem contrariis in caſu eodem. ROSTOCHIENSES *an. 1622.* his uerbis eum definiuerunt: *Hat Titius ſich mit Meuia trauen laſſen, und den beyſchlaf vollzogen. Beydes aber ohne einwilligung der Eltern. Wird gefraget: ob dieſe Ehe vor beſtaendig zu achten.* Negant hoc Roſtochienſes: *dann Gottes Wort gebe den Eltern gewalt über ihre Kinder.* Lutherus *erfordere der Eltern einwilligung, als ein weſentliches ſtück des Eheſtandes. Die copula carnalis ſeu uſus coniugii & effectus, non cauſa. Die Benedictio ſacerdotalis nur ein von der Kirchen geordnetes euſſerliches mittelding. Gehöre zum weſen und eſſenz der Ehe nicht. Wann die Ehe unvollkommen, könne benedictio ſacerdotalis nichts verbeſſern*, cetera. Contra autem ſenſit ordo theologorum LIPSIENSIVM in caſu eodem. Verbis & rationibus quae ſequuntur: *die Ehe, ohne der Eltern einwilligung vollzogen, ſey zwar unbillig. Wann die trauung geſchehen oder die eheliche beywohnung erfolget, nimmer res integra. Man würde die erſtere ſonſten zum geſpötte machen. Lutherus habe gerathen, die Kinder ſollen buſſe thun und ſich der ſtraffe des ungehorſams unterwerfen. Aber die Ehe ſelb-*

3) AMBIGVVS *Lutherus.*

Roſtochienſi 1622. NVLLAE.

Lipſienſi 1622. VALIDAE.

(*) Sed tamen CHEMNITIVS diſp. *contra clandeſtinas deſponſationes theſ.* 3. putat, Lutherum has nuptias habuiſſe pro nullis. Igitur neque *ratihabitionem* parentum ſufficere; ſed benedictionem, quae potius maledictio, repetendam. Quae etiam theologia Brentii & Gerhardi. Vti eorundem *ſententias* congeſſit DEDEKENNVS *tom. III. ſect. 4. n. 29. ſq.*

ſten

ſten ſolle weder vor nichtig gehalten: noch nachhero deſswegen getrennet werden. Es ſolle die obrigkeit den conſenſum der Eltern ſuppliren, wann dieſe nicht zu gewinnen ſtünden. Vnd alſo würde es insgemein in conſiſtoriis gehalten (*). Id igitur uerum eſt, cum theologi & iureconſulti non expenderint *patriae poteſtatis* in Latio & patrio iure diſcrimina, aliter fieri non potuiſſe, quam ut nunc talia matrimonia, neglecto parentum conſenſu inita, haberent pro *nullis:* nunc *tuerentur* illa ex ſuperſtitionis priſtinae de matrimonii ſacramento reliquiis. Auctores & leges in utramque partem congeſſere DEDEKENNVS *tom. III. lib. IV. ſect. 4. n. 6.* & *lib. IV. ſect. I. n. 10*, nec minus in *adpendice conſiliorum*, GIESEBERTVS *peric. II. ſtatut. artic 30.* CARPZOVIUS *Conſt. lib. II. tit. 4. def. 30. 31. ſq.* & *Hieron.* BRVCKNER *in deciſ. matrim. c. 2. de clandeſtinis matrimoniis.* NEGANTES, ideo dirimi non debere matrimonium, perfectum ſacerdotali benedictione & conſummatum concubitu, enumerat § 81. 82. 83. ADFIRMANTES contra, matrimonium eo caſu nullum aut dirimendum, non minori numero conducit §. 93. 94. 95. Noſtrum eſt, inde diſcere, quam uaga ſit iurisprudentia cerebrina, ſi idoneis legum aut rationum principiis deſtituatur. *Dd in partem utramque.*

§. 7. Vltimum genus eſt illorum theologorum & iureconſultorum, qui, dum pendent animi in his opinionum diuortiis, lubrici & ipſi ſunt & uarii. Inde cauſas & caſus diſtinguunt. *Principio* putant, diſcrimen faciendum: *utrum nuptias*, ſine parentum conſenſu, *contrahant maiorennes*, an uero *minorennes*. Si ultimi, tum nuptias fore ipſo iure nullas. Non, ſi hoc faciant primi. Putant enim, *maiorennes* habendos eſſe inſtar illorum, qui ſui iuris & exiuerint e patria poteſtate. Vt adeo illi *4) ſententiae* LIMITATAE *a) ſi liberi* MAIORENNES.

(*) Vtrumque *reſponſum*, de eadem cauſa 1622. conceptum, diuerſimode a theologis Euangelicis exhibet *Georg* DEDEKENNVS *tom. III. adpendice von leichtfertiger copulation n. 4.* & 5. *p.* 35. 36. Vix Babyloniae architecti in tot linguas olim delapſi, quam in multiplices ſententias ire hic ſolent theologi & iureconſulti.

non multum ad patris consensum adstringantur. Qui in illis sit tantummodo *honestatis*; non *necessitatis*. Deinde *maiorennes* firmiori iudicio esse praeditos, neque ita decipi posse, uti minorennes. Quapropter, quod ipsi spondeant ineantque, non habendum pro facto nullo ac irrito. Tandem cum a minorennibus pericula sint parentibus; ne ex infelici connubio onus in illos recidat, alendi egentes; hunc metum raro imminere a maiorennibus, quibus raro desint remedia, acquirendi, quae pertinent ad uictum & cultum. Sane Galliae etiam leges his discriminibus rem definiuisse, constare potest ex HABERTO & LAVNOIO aliisque doctoribus, supra laudatis. Quo etiam inclinat BRENTIVS apud DEDEKENNVM *tom. III. sect. 4. n 8. 18.*

b) si filia pacta.

§. 8. Deinde sunt iterum alii, qui existimant, aliud esse, si *consensum* suum negent parentes; illud, si *consensus* non sit requisitus. *Vltimum* facilius esse ad excusandum; quam *primum*, quod fiat maiori parentum contemptu, si floccifiat eorundem uoluntas aut iussus, si quidem filia iam sit *pacta* aut liberi promissi ac destinati connubiis aliorum. Quorsum referri potest *l. 2.* WGOTHICA *lib. III. tit. 2.* laudata superius *diff. 1. c. 2. §. 4.*

c) si IVDICIS decretum.

§. 9. Praeterea uti plures sunt, qui *matrimonium* ipso iure *cassum* habent, si parentes etiam post, rogati & admoniti, nolint ei consentire: ita alii putant, hoc non relinquendum esse parentum arbitratui, ceu iudicibus in propria causa. Sed rem eousque ambiguam, donec illa, iudicis auctoritate, decidatur definiaturque: utrum *ualeat* connubium agaturque tantummodo de eo *rescindendo*; an uero ipso iure declaretur *nullum*. Ergo quicquid hic uelit dicatque pater, ita neglectus, id curari non posse: sed iudicis sententiam esse expectandam.

d) si unum.

§. 10. Porro est & aliorum sententia haec: aliud di-

cen-

cendum, ſi liberi in nuptiis ſemel contractis, uelint uoue- antque perſiſtere; aliud, ſi nuptiarum eos poeniteat, ut ipſi nunc a parentibus cauſam rogent, nuptias rumpendi ac diſſoluendi. Tum enim *matrimonium* omnino facilius poſſe tolli aut *irritum* & caſſum declarari. SAXONICVM CONSISTORIVM ſe uertit in hanc formam apud DEDEKENNVM *tom. III. ſect. 4. n. 36. p. 167.*

coniugem nuptiarum poeniteat?

§. 11. Poſt etiam ab aliis *iurisiurandi* religio maioris habetur, quam reuerentia liberorum erga parentes. Praeſertim ſi promiſſio fidei connubialis *ſanguine* promittentium madeat, *wenn ſich die verlobte mit ihrem BLVT unterſchrieben.* Tum enim rectius parentes remittere de iure ſuo debere, quam nota periurii adfligere & uulnerare liberorum *conſcientiam*, cum periculo ſalutis aeternae. Vti enim *Saxones* alias maxime habent iurisiurandi religionem: ita etiam hic parentum cauſam & iura ideo deſerunt & relinquunt. Ita SAXONICVM TRIBVNAL ſacrum apud DEDEKENNVM *tom. III. ſect. 4. n. 36.* Hoc enim caſu *l. 1. §. fin. D. de liber. exhib.* laudant, ut pater arceatur a ſui iuris rigore & uehementia, quod nos ſupra uidimus *diſſ. 2. c. 4. §. 3.* quae hic debet repeti. De ſubſcriptione autem, *ſanguine*, inſtar atramenti facta, exemplum eſt in duce Brunſuicenſi ERNESTO. De quo LVTHERVS ſcribit in litteris apud BRVCKNERVM in *deciſ. matrim. c. 2.* in *addit. ad n. 2. p. 141. Item* Erneſtum *ducem* Brunſuicenſem *a uirgine aulica abſoluimus. Qui tamen multis & grauibus iuramentis, imo etiam proprio SANGVINE ſuo, illi ſe obligauerat.* Nam qui de animo ſuo depulit pontificiorum dogmata in obligatione iuramentorum, quae cum damno & iniuria alterius coniuncta, ille facile intelliget, hoc uinculum eſſe iniquitatis. Specie inanium quoque nitet ſcriptura *ſanguinaria*, nulla uero iuris ratione uel auctoritate. TACIT. *Hiſt. XII. c. 47.*

e) ſi nuptiae SANGVINE tinctae aut firmae IVRAMENTO.

f) si liberi EMANCIPATI.

§. 12. Praeterea uti iure Romano liberorum emancipatorum nulla obligatio, ad *consensum patris* requirendum siue in sponsalibus siue in connubio: ita enim aliqui existimant, *subsistere* quoque, iure patrio, *nuptias sine parentum* consensu, siquidem illas contraxerint liberi sui iuris, *emancipati*. Huc respicere uidetur constitutio Saxoniae ducis Mauritii apud DEDEKENNVM *tom. III. sect. 4. n. 3. p. 133.* Sed cum liberi Germanorum, ipso matrimonii iure, emancipentur & patris se subducant potestati: igitur infirmum erit consecutionis filum a legibus Latii ad Germanorum instituta. Quod ostensum est supra *diff. 2. c. 6.* & inferius docebitur *cap. ult.*

g) si FILIAE

§. 13. Tum nemo dubitare potest, *filiarum* ingenia lubrica magis esse, adeo, ut etiam ipsi Romani maluerint, filiam, licet uiduam & maiorennem, in matrimonio ineundo ab alieno patris arbitratu pendere; quam a suomet, quod *differ. I. litt. e.* ostensum & *Romanus* TELLERVS ex instituto *de deteriore foeminarum conditione in matrimonio contrahendo th. 2. §. 13.* Igitur, licet filiorumfamilias nuptiae quodammodo sustineri queant: illud tamen fieri non posse in filia siue uidua sit siue sub patria agat potestate. Quoniam haec nullo iure & tempore in matrimonio eundo fiat sui iuris; sed pendeat semper a uoluntate parentum aut propinquorum.

h) parentes DIFFICILES in ELOCANDO liberos.

§. 14. Tandem quemadmodum iure Romano, si pater se difficilem reddat in liberis elocandis, cogi poterat & debuerat a magistratu, *qui enim liberos, quos in potestate habent, prohibuerint ducere uxores aut nubere uel qui dotem dare non uolunt* (uel non reddere bona materna) *ex constitutione DD. Seueri & Antonini per proconsules praesidesque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare: prohibere autem uideri, si conditionem non quaerant liberis*, clare & uerbatim dicitur *l. capite 19. D. de rit. nupt.* ita etiam

iam colligunt doctores, matrimonium hoc casu pro *nullo* non habendum neque dirimendum, licet a liberis fuerit contractum *sine consensu parentum*, quos de nuptiis indulgendis olim multoties solicitarint. Arguit ita BRENTIVS apud DEDEKENNVM *tom. 3. lib. 3. sect. 4. n. 18. p. 149.* Imo ita ne quidem sponsalia dirimenda clandestina, *an. 1540.* responderunt WITTEBERGENSES sacri tribunalis adsessores apud *eundem ibidem n. 13.* Et, licentiori licet calamo, hoc adfirmauit Erasm. *Sarcerius* apud *eundem & ibidem n. 15. p. 145. 146.* Idem dicendum, si pater filiam neglexerit *educere & dotare* apud *eundem n. 10. p. 139.* *i) negligant* EDVCERE & DOTARE.

§. 15. Ad extremum, si inuicem in dando consensu *pater & mater* dissenserint, licet *primi* parentes magis sint attendendi, dummodo *matris* rationes non sint urgentiores, ut doctores ac iudices sentiunt apud DEDEKENNVM *tom. 3. lib. 3. sect. 4. n. 26. 27. 28.* tamen hoc casu, ubi matrimonium, inuito aut nesciente *uno* ex parentibus, consentiente autem altero, est contractum, ideo porro non dabitur licentia illud dirimendi. Partim, quod liberi ueniam mereantur, si ab uno parentum fuerint ita seducti, quoniam eorum non est, dirimere lites inter *patrem & matrem*, dissentientes: partim, quod patria iura etiam *matri* adrogent potestatem in liberos, ut adeo, si etiam matris tantummodo consensus adsit, potius pro illo sentiendum, ob matrimonii conseruandi fauorem. Accedit, ut saepe dictum, hodie, honoris causa consensum a parentibus exigendum, non ob causam paterni imperii & potestatis, quae, cum ipso matrimonio, iure solet expirare. *k) vno parentum* consentiente.

§. 16. Nobis non opus est tam amplo circuitu & ambagibus. Vti enim sententia; *matrimonium, sine consensu patris initum, uel irritum esse uel dirimendum* maxime armari solet ex legibus Romanis; hae autem eo respexerunt, quod patri ita obtruderetur a filio cum noua SENTENTIA NOSTRA.

uxore hospes, conuiua, alumna, liberi olim & liberorum alendorum mille impedimenta, quae omnia ex institutis Germanorum se habent ex aduerso: ita, meo iudicio, habent etiam patres Germani, ut desistant a rigore Latii, deferuescat ira eorundem sintque illi in adprobandis liberorum nuptiis, licet sine eorundem consensu initis, indulgentiores. Contra, si neque iure Romano emancipati liberi tenentur in connubiis suis, patris rogare aut expectare consensum: multo minus I. G. inita matrimonia debent ideo dirimi, si patris neglectus consensus. Quoniam matrimonii nouum candidatum, ne patri grauis sit, emancipare solent iura Germanica. Vt adeo emancipandi & emancipati iura eo censu aestimentur, quo cingendus pro cincto solet haberi Sed quid de edictis SS. *patrum* aduersus nuptias clandestinas, quas diris deuouerunt? Etiam horum animi occupati sunt legum Latii diritate in limitibus patriae potestatis aut nesciuerunt *poenarum* & *nullitatis* discrimina. De quibus etiamnunc.

CAVTELAE *aduersus clandestina connubia.*

§. 17. Sed ideo non aperitur porta liberis licentiosis ad contemnendos parentes & negligendos in contrahendis connubiis; ad circumueniendum & seducendum liberos lubricae aetatis; ad calamitatem adferendam parendum innocentiae. Vti enim omnibus delictis leges opponere possunt obicem: ita etiam illae satis ad hoc cauendum & tollendum. Exemplo aliis hic proponere licet statuta HAMBVRGENSIA prouidentiae hic singularis. Cum enim in ista ciuitate, ob diuitias filiarum, raptus crimina frequentiora: clandestina connubia, inuitis aut nescientibus parentibus inita, non solum proscripserunt de republica sua eaque declararunt irrita & cassa; uerum etiam huic facinori & fallacibus procis statuerunt ulti-

1) LEGE, *exemplo* Hamburgensium.

ultimum supplicium (*). Neque hoc ex arbitratu parentum; sed ex suae reipublicae commodis & salute. Nam si hoc arbitratui datur parentum, eorundem indulgentia leges solent eludi. Praeterea offensis & laesis ita parentibus proinde etiam hoc datur, ut liberos ita immorigeros faciant exheredes; denegent eis alimenta, dotem, paterna & materna officia quaeque: interdicant illos accessu & consortio familiari, cetera. Etiam sacerdotum & sacri tum tribunalis erit, officio suo rite defungi aduersus paterni obsequii contemptores. Sacris interdici possunt; urgeri irae diuinae comminatione, quam prouocauerint quarti praecepti uiolatione. Plus egomet *trigae* huic remediorum aduersus clandestina connubia dedero: quam disputationibus de casso uel rumpendo, absente parentum consensu, matrimonio.

2) DOMESTICO *iure parentum.*

3) ECCLESIASTICA *disciplina.*

CAP. IX.

De CAVSIS *dissensus paterni, coniunctis uel cum* RATIONE *uel cum* INIVRIA.

§. 1. Cum R. I. *filiifamilias*, intuitu imperii paterni, essent instar seruorum, qui non a sua uoluntate penderunt, sed ab aliena patris, domini: ineptum fuerat, a parentis imperio ac iussu expectare aut requirere rationes.

Quare G. I. a patre requirantur dissensus CAVSAE?

(*) Edicti exemplum, quod penes me, conceptum est & promulgatum *die XXI. Sept.* 1676. Verba sanctionis, huc facientia praecipue, sunt haec: *Nachdem das verkuppeln der Weiber bey dieser Stadt gemein werden wollen: da doch die darauf erfolgte trauung für keine Ehe zu achten: Als thut E.E. Rath nachfolgendes edict hiemit publiciren: dafern iemand er sey frembd oder einheimisch, eine Weibes-person, ohne vorwissen, willen und völlige beliebung ihrer Eltern, Vormünder &c. in Ehegelöbniss zu ziehen, sich unterfangen und selbe mit ihrem oder ohne ihren willen, entführen und trauen lassen würde: dass solche handlung, ob die partheyen sich gleich eydlich verknüpffet, als an sich nichtig, auf summarisches anflehen so fort dafür erklaeret: die Eltern solche zu enterben bemächtiget: der entführer ohne gnade am leben gestraffet: die gutwillig entführte an einem erkannten ort enthalten und ihr nicht mehr als nothdürfftige alimenta gereichet werden sollen: Die vorschub darzu gethan, sollen zu ewigen tagen verfestet werden. Wornach sich ieder zu achten.*

tiones. Aliter Germanica instituta. Vbi filiofamilias sui ipsius arbitrium, suus genius, sua uoluntas uel amare uel odisse, dominium in corpus & adfectus: dummodo nihil fieret, quod laederet honorem & reuerentiam, utrique parenti sacrum. Libera igitur liberorum connubia eo usque, dum non essent talia, unde parentibus iusta offensa.

Quid causa INANES *aut* VACVAE.

Sententia Lutheri an. 1530. *satis concepta licent.*

§. 2. Ipse LVTHERVS (†) hoc clare definit, si parentibus *nullae* ad dissentiendum *idoneae* causae & illi durae ceruicis prouocentque non ad *causas*, sed ad *domesticum* in liberos *imperium* uelintque, ut, pro ratione, prostet uelle aut nolle, iussus, mandatum, interdictum, prohibeo, ueto: tum, salua conscientia, liberos inire posse matrimonium, parentum iniussu. Tantum certe parentum deminuta potestas: quantum illa est adligata rationibus. Si igitur I. G. *iussus* patris tum demum ad connubii *essentiam* pertinet; quando instructus est *rationibus*: certe matrimonium ante pro *irrito* haberi non potest, quam *sententiam* dixerit iudex in sacro tribunali *causasque* dissensus, a patre in medium productas, uel adprobauerit suo iudicio uel reiecerit habueritque pro inanibus. Quapropter cum hoc iuris dogmate pessime cohaeret

(†) Merentur uerba, satis libere licenterq; concepta, hic describi. Ita autem se habent *im buch von Ehesachen part* 1. *art.* 5. *p.* 388. *tom.* 5. *Altenb. Weiter findet man grobe leute, die ihre toechter schlecht nicht wollen vergeben, obgleich heurath fürhanden ist, der ihnen ehrlich und nüzlich waere. Sondern, wie ein grober Bauer blehet er den Bauch und will fürgeben, das Kind müsse ihm gehorsam seyn. Weil das Kind Ihm, statt einer Magd dienet (oder muttergut vorhanden, so er nicht heraus geben will). Das heisst nicht zur Ehe, sondern von der Ehe zwingen und unvaeterliche boßheit. Vnd vielleicht haben diese groben Toelpel dem geistlichen Recht zuerst ursache gegeben, die heimliche verloebnüss vor gültig zu achten. Dann auch ich, ehe ich wolt solchen baeurischen muthwillen in vaeterlicher gewalt leiden, von solchen groben Kunzen, lieber den Kindern rathen wolt und sie heissen; sich hinter solchen Vaters willen zu verloben. Wo sich aber der fall zutraeget, dass die heurath dem Kind ehrlich und nützlich, und die Eltern ihren muthwillen und eigennutz treiben: soll man sie beym Kopf nehmen, ins loch werfen; sie ihrer vaeterlicher gewalt berauben; die Obrigkeit an dessen statt treten und die Ehe bevestigen.* Satis au dacter fidenterque Lutherus, instar legislatoris, non interpretis legum & doctoris. I. R. explodendae fuissent hac argutiae, quae I. G. omnino locum merentur.

doctorum opinio: *matrimonia, patris iniussu contracta, ipso iure habenda pro irritis.*

§. 3. Cum uero hoc certum sit, I. G. patrem dissentire oportere cum *ratione*, neque dissensum eius fieri posse ἀλογίστως uel ἀλόγως: illud nunc porro est requirendum; *penes quem, in hac connubiali philosophia, onus sit probandi?* Filium an patrem? Pro *ultimo* iuris est *praesumtio*, quod liberis bene cupiat: sed non minor *praesumtio* pro ipsis *liberis*, quod laborare nolint aduersus propria commoda; quod si ipsius maiorem habeant notitiam, quam pater. Vt illis melius, quam huic, intelligatur; quae uxor ipsis commoda, utilis, idonea, apta moribus, genio, uitae congruens animo & corpore. Licet igitur *onus* probandi R. I. incumbat *liberis*, si pater obtrudat *propudiosam, infamem & turpem* personam *L. 12. D. de sponsal.* quod supra ostensum *diss. 1. c. 1. litt. b.* adeo, ut tum etiam difficile fuerit, liberos absoluendi nexu imperii paterni connubialis, quod *diss. 2. c. 4. §. 2. 3.* dictum: ex aduerso G. I. onus illi in parentes deuoluunt, qui illis laudant causas, ob quas possint liberis consensum suum in nuptiis denegare. Nihil enim certius est, quam tum quidem teneri & obligari parentes ad probandum, hanc uel illam *causam* in connubio liberis interdicto adesse. *In causis aestimandis penes quem* ONVS PROBANDI?

§. 4. En! porro *causarum* limites & numeros, ob quas hoc patri dant, rumpere nuptias liberorum, initias eius iniussu. Exscribemus hic illos, qui inter homines *forenses* magnum habent nomen. Praecipue auctor se hic offert *responsi l. uol.* 1. apud *Ern.* COTHMANNVM *n.* 222. 223. 242. 243. *sq.* & CARPZOVIVS *lib. II. consist. tit.* 4. Ita autem illi (†). Pater, *ineptas* ob causas dissentiens, in liberorum connubiis, ridendus magis, quam alicuius momenti habendus. Praedo respondet possideo, quia possideo. Dissentio, quia dissentio, uox non patris; sed hostis & tyranni. Sed quae demum *causae* illae sunt, quae forensium doctorum *Enumeratio* CAVSARVM *ob quas* DISSENTIRE LICET *patri?*

(†) Ridet hoc *Henr.* BRORWERVS *lib. I. c.* 13. Quod pater non teneatur ad rationes. Sed glaucoma legum Latii abstergendum est de oculis iureconsulti Germani aut Belgae.

iudicio probantur. Accipe illas. Sunt enim, quae ſequuntur. I. Si liberi *principio* negotii connubialis patrem non ſalutauerint. Do hoc, ſi neglectus fuerit coniunctus cum *contemptu*. Nego, ſi aliae eius ſint cauſae tremor, pallor, diffidentia, ſuſpicio, uecordia, amentia, puſillanimitas, ſeductio & ſuggeſtio aliorum. Vel, ſi tale quid probare, neſciant liberi, dummodo a contemptu ſe purgauerint alias uel iureiurando. II. Si procus *inhoneſtae* uitae. Sed ambigui honeſtatis gradus; dubium quodnam facinus, forte in pueritia aut ebrietate admiſſum, hominem reddat inhoneſtum. III. Si procus ſit *mendax*, *thraſo*, *oſtentator*, *uanus* & *leuis*. Etiam de his nominibus non omnium eadem iudicia. IV. Si amoris non ratio conſtet, ſed adpareat *furor*. Verum prudentiſſimi etiam uiri patiuntur hic ſaepe aliquid iniqui, ſuis ſenſibus tanguntur, non alienis. Suum cuique pulchrum. Quicquid hoc ſit in oculis alienis. V. Si procus ſit *erro* & homo *uagabundus*. Ita uero etiam dici poſſunt, quibus non ſua culpa deeſt domicilium. VI. Si *imparis ſortis*. Sed imparitati lex debet obſtare, non ambitio parentum maleſana. VII. Si filia fuerit inducta *dolo*. Sed tum doli actio aut querela liberorum, non parentum. VIII. Si procus *infamis*, *propudioſus*, cetera. Sed hanc cauſam leges dant liberis aduerſus imperia paterna, ut oſtenſum ſupra *differ. I. litt. g. p.* 7. in *l.* 12. *ſed quae D. de ſponſ.* dubium an etiam parentibus. Grauius enim eſt, contrahere cum hoc quam conſentire contractui alieno. IX. Si ex nuptiis parentes diuinare poſſint *iurgia* & *lites*. Verum fallunt ſaepe auguria in ſenſibus alienis. X. Si a proco *inſidiae* metuendae? aut ille maioris habeat *dotem*, quam *ſponſam*. Sed ideo leges alia ſuggerunt remedia faciuntque ſponſam exheredem uel obligant ſponſum ad *cautionem* non inferendi damni. XI. Si procus ſit *ualetudinarius* aut uitio laboret corporis. In ultimo leges ſubueniunt ſponſae de quibus BROVWERVS *de iure connub. lib.* 2. *c.* 4. in primo ſaepe iudicia breuioris uitae fallunt. XII. Si procus careat *ſparta*. Satis uero eſt, ſpe eum alii, habilem eum ad hanc exornandam. XIII. Si proco deſint *facultates*. Abſoluent tum iura parentes ab officio in liberos illos; qui primi a liberorum officio in parentes diſceſſerunt, eorum neglecto conſenſu. XIV. Si pater forte aut mater *damnet coniugia* quaeque, nimie-

nimietate religionis (*). Quasi malis tantummodo id datum hominibus, procreare homines; aliis, de meliori luto & diuiniori mente, ut homines uertant in christianos, precibus & doctrinis. Noua haec theologia, explodenda eousque, dum eius ueritatem probauerit nouator portento illo, *ut omnes capiant uerbum hoc*, de quo dubitauere θεόπνευστοι olim doctores. Nolo amplior esse, in casibus & causis enumerandis iusti parentum, in connubiis liberorum, dissensus. Nam ex speciminibus, adhuc editis, constat satis, eo *cerebrinam* fore hic iurisprudentiam, usque dum, nouae legis auctoritate, causarum aliae adprobentur fiantque legitimae, aliae uero reiiciantur. Vt finis tandem sit forensibus litigiis.

§. 5. Ceterum illud commendare etiam hic uelim legislatori. *Principio* liberioris breuiorisque nexus esse liberos Germanorum, quam liberos *Latii*, agente, sub patriae potestatis iugo aeterno. Vt adeo duritas legum Latii in *Germania* non mereatur locum. *Deinde* aliud esse, *poenam* in se prouocare liberos in consensus paterni neglectu, aliud matrimonia habere ideo pro *irritis*. *Post* primae ecclesiae doctorum diras & dicam in liberos, negligentes paternum in connubiis consensum, tribuendas esse LL. Latii & Graeciae: indulgentiam, ob causas *differ.* 2. *cap.* 6. adductas, mereri connubia Germanorum. *Porro* facilius conubia tolli, ubi absit *sacramenti connubialis* superstitio; sed tamen e re publica esse, ἱερολογίαν non eludere & uiam aperire, imperio parentum coactis, connubiis. *Tum* iuris celeberrimos doctores glaucomate obductos acerbitatis legum Latii aduersus connubia liberorum; ut patrii iuris indolem non adsequantur. *Demum* magis consultum esse, Tridentino decreto uti: quam iure incerto. *Ad extremum* Tridentino decreto fauere R. & G. iuris differentias. CONSVLTRIX iurisprudentia in hoc argumento.

CAP. X. i)

De consensu AVI.

§. 1. *Aui* consensu I. R. opus fuisse ideo, quoniam nepos non sub *patris*, sed *aui* fuerit *potestate*: illud quidem osten-

(*) Imo ex quo quis christo nomen dederit ex eo dirimenda conubia & illis relinquenda, qui uiuant *seculo*, non Deo & *Christo*. In hoc numero *Marcionistas*, *Encratitae* uarii generis, de quibus *Franc.* FLORENS *tom.* 2. *tit. de sponsalibus* p. 105. 106. alii. Cuius sectae anastasin uiderunt tempora nouissima.

sum

sum est *differ.* 2. *c.* 5. *Potestatis* igitur solius ratio habita in legibus Latii; non reuerentiae, cultus, honoris, obseruantiae erga maiores. Ita enim MODESTINVS *in L.* 25. *D. de ritu nupt.* definit: *filius emancipatus, etiam sine consensu* PATRIS, *uxorem ducere potest. Et, susceptus filius ei* (non auo) *haeres erit* (*).

Quia non opus EMANCIPATO.

§. 2. Cum igitur I. G. filio, cultu matrimonii, ex patria potestate liceat exire, quod cum alibi *dn. praes.* probauit, tum BROVWERVS *lib. I. c.* 16. *n.* 18. *sq.* atque *lib. I. c.* 8. *n.* 26. nihil habet, quod hic in impetrando a se consensu aduersus nepotes & neptes porro urgeat auus.

Qui hodie officium EMANCIPATI *sit maius quam olim?*

§. 3. Sed tamen quid si *pater* fuerit mortuus? Neque etiam tum aliquid largior *auo.* Quoniam semel emancipato filio ceu patri *liberi* adnascuntur, imo ei soli heredes, non auo. Idque R. I. ubi emancipatorum nullà hereditas. Cum uero in NOV. 118. successionum discrimina inter suos & emancipatos sint sublata; praeterea hoc iure etiamnunc utamur Germani; existimauerim, *reuerentiae* ergo, auos etiam salutandos in connubiis nepotum. Magis quidem, quam *tutorum* aut *curatorum*, ob commoda successionis, uti omnino dicendum aduersus *Henr.* BROVWERVM *lib. I. c. XI. n.* 20. 21. 22. Absit tamen, ut ideo matrimonium, sine aui consensu initum uel *cassum* habeamus uel *rumpamus.* Verum theologi & iureconsulti, horum discriminum ignari, omnia turbant miscentque. Qualia specimina offendes apud DEDEKENNVM *tom.* 3. *lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 42. 43. BRVCKNERVM *in decis. matrim. cap.* 2. CARPZOVIVM *iurispr. consist. lib.* 2. *tit.* 3. *def.* 45. *n.* 7. 9.

EPILOGVS.

§. 4. Abstinuimus, quantum fieri potuit, a turba & nominibus doctorum in *theologia* ac *iure*, quibus omnino fuerat parcendum & ignoscendum. Quoniam principiorum, quibus uti solent, tanta diuersitas: ut fieri aliter nequeat, quam, ut nec sibi ipsis neque inter se constent. In his igitur opinionum diuortiis lumen quaesiuimus & re ipsa deprehendimus iterum in utriusque iuris differentiis.

(*) Putant hoc decalogo aduersum, qui sub patris uerbo etiam significet *auum, abauum* HAVEMANNVS *gamol, I. tit.* 2. 7. Sed ueniam in R. I. ignorantia merentur theologi. Et tamen concinit illis ipse CARPZOVIVS *lib. II. consist. tit.* 3. *def.* 49.

)o(